




A

váczi kegyes-tanitórendi ház

KÖNYVTÁRA.

C. betű. I. a. 8. szám.

*¶ vii. 1.*



*ex libris Hieronymi Regy.*

I D E A  
ASTRONOMIE.  
HONORIBUS  
REGIAE  
UNIVERSITATIS  
BUDENSIS  
DICATA.

*E Bibliotheca Schol. Piast.*  
*Johannes Vatinius.*  
JOA. NEP. SAJNOVICS,  
AA. LL. & Philosophie Doctore; SS.  
Theologie Baccalaureo; Regiarum Socie-  
tatum Scientiarum, quæ Hajniæ, & Ni-  
drosiæ florent, Membro; Astronomi Re-  
gii Universitatis Budensis p. t. Adjuncto.

---

B U D Æ,  
TYPIS CATHARINA LANDERER, VIDUA.

---

M D C C L X X V I I I .

525.953



Ignoti nulla Cupido.

CICERO.





**SPECULA ASTRONOMICA**  
Regiae Universitatis Budensis, Opere  
Magnifico structa, amplam Intuenti-  
bus dabit cogitandi, loquendique ma-  
teriam. Querent non pauci: quid-  
nam Moles illa sibi velit, tectis omni-  
bus eminentior? quos in Usus edu-  
cia? quibus Instrumentis, & Machi-  
nis provisa? quanto denique Boni  
Publici Incremento collocata habeatur?  
Horum quæsitis ut, parte saltem ali-  
qua, satisfacerem; præsentem Disser-  
tationem scribere institui; ex qua ge-

neralim quampiam rerum Astronomi-  
carum IDEAM efformare sibi poter-  
it quisque interea, donec particula-  
riter singula pertradflare fuerit con-  
cessum. Is quidem labor, alterius  
erit temporis, & presentis Opusculi  
successiva quedam Continuatio.

Sed, & aliud operæ pretium me-  
laturum existimo, scilicet: ut Lecto-  
res mei propriorem cum Astronomia  
notitiam asscuti, Eamque sublimem,  
Operosam, & maxime Utilem agno-  
scentes, magis Sese Amicos præbeant,  
Ejusdem Cultoribus; quam fortasse  
hactenus præsliterunt.

Neque enim ego, per Astronomi-  
am, vagam quampiam rerum Cœle-  
stium historiam intelligo, Curiositati,  
ut dicimus, magis servientem, quam

Eru-

Eruditioni profuturam. Verum: Astro-  
nomiae nomine mihi venit, Tanta  
Astrorum peritia, ut non solum No-  
mina, quibus gaudent, sed & Ma-  
gnitudines, quibus apparent, Distan-  
tiae, quas inter se habent, Orbitae,  
quas motu suo describunt, per multi-  
plies, easque accuratissimas Obser-  
vationes, determinata habeantur. Qui-  
bus cognitis Astronomus, ope Arith-  
meticarum Operationum, seu Cal-  
culorum, determinare queat Locum,  
quem singula Astra in Cœlo occupant,  
aut occuparunt, aut occupatura sunt,  
pro quovis Momento Temporis, aut  
Præsentis scilicet, aut Præteriti, aut  
Futuri. Et, versa vice, determinare  
queat Momentum Temporis, quo  
Astrum quodlibet, diversa in Cœlo Lo-  
ca, aut occupabit aliquando, aut ali-  
quando occupavit. Nondum satis:

Restat præterea, ut Motuum in  
Cælo visorum Causæ Physicæ apte  
investigentur. Effectus Physici eo-  
rundem Motuum feliciter detegan-  
tur. Utilitates in usus vitæ huma-  
næ promanantes, ingeniose, neque mi-  
nus, veraciter deducantur.

*Hæc omnia qui præstiterit magnum  
ASTRONOMI nomen sibi merito  
vindicabit. Sed enim:*

## MAGNI hi ASTRONOMI

Apparent rari nantes in Gurgite vasto !

*Cujus quidem Raritatis causas ist-  
hic commemorare non libet. Ex ipsa  
interim veræ Astronomicæ Definitione  
intelligitur : Astronomos occupari,  
imprimis quidem, faciendis Observa-  
tionibus, tum subducendis Calculis,*  
deni-

denique detegendis Veritatibus Physicis. Ideo Astronomiam omnem in tres quasi partes dividimus; nempe:

*In Astronomiam Observatoriam.*

*In Astronomiam Calculatoriam.*

*In Astronomiam Physicam.*

*De triplici hac Astronomia postquam egero, addam & illud: quanta Boni Publici Utilitate Astronomiae Studium hactenus excutum sit? En Conspectum totius Opusculi!*



Con-

# CONSPĒCTUS OPUSCULI.

## CAPUT I.

### De Astronomia Observatoria.

- §. I. De Speculis Astronomicis.
- §. II. De Instrumentis Astronomicis.
- §. III. De Observationibus Astronomicis.

## CAPUT II.

### De Astronomia Calculatoria.

- §. I. De Catalogis Stellarum.
- §. II. De Tabulis Planetarum.
- §. III. De Usu Ephemeridum.

## CAPUT III.

### De Astronomia Physica.

- §. I. De Systemate physico Astrorum.
- §. II. De Influxu physico Astrorum.
- §. III. De Influxu morali Astrorum.

## CAPUT IV.

### De Utilitatibus Astronomiæ.

- §. I. De Utilitate in Chronologia.
- §. II. De Utilitate in Geographia.
- §. III. De Utilitate in Nautica.
- §. Ultimus. De Utilitate in Agnitione

DEI.

CA-

C A P U T X.  
A S T R O N O M I A  
<sup>D E</sup>  
O B S E R V A T O R I A.

**A**stronomia Observatoria est Scientia Observandi phœnomena, quæ in cœlo eveniunt. Neque enim omnis, qui phœnomenon aspicit, illud etiam observare dici poterit. Vulgus intuetur solem eclipsatum. Quid tum postea? miratur ejus apparentem nigredinem: quid præterea? nihil. An ergo Eclipsim observat? minime, aspicit tantum. Alius, qui Astrorum notitiam sibi comparavit aliquam, videt eandem Eclipsim. Meminit inde oriri Phœnomenon: quod inter oculum, & solem interponatur luna, & obstet, ne radii solis ad oculos spectatoris recti perferantur. An propterea Eclipsim observat? neutquam: videt tantum. At vero Observator Astronomus, regulato prius exactissime horologio suo, telescopium, aut tubum opticum chrystallo colorata, contra vim radiorum solarium communitum, in solem intendit. Momentum temporis, quo limbus solis minima nigredine inciditur, id initium est Eclipseos, adnotat. Crescentes, & decrescentes magnitudines nigredinis

**A** illius.

illius apparentis, seu reapse, lunæ progradientis, quas Phases appellamus, ope micrometri, identidem dimetitur. Adscribit denique momentum temporis, quo sol integer comparet, seu quo Eclipsis finitur. Sicque observationem præstat, usibus Astronomicis, atque Phyficiis protuturam. Quod de Eclipsi solis, exempli duntaxat gratia, dixi, idem de aliis omnibus cœli phænomenis intelligendum, quæ vulgus tantum aspicit, Phyficus videt, solus Astronomus observat. Exordia quidem Astronomiæ hujus Observatoriæ, a plerisque ad Chaldaeos referri scio. Non arbitror tamen Adæ filios, atque primos Nepotes, ita curvas in terram fuisse animas, ut ore sublimi cœlum tueri, & erectos ad sydera tollere vultus neglexissent. At enim: quemadmodum Artes omnes, ita, hæc quoque Astronomiæ pars, parvis cœpta initiis, lapsu temporum magis, magisque exulta, ad eam tandem, qua hodie floret perfectionem, deducta est. Ad majorem longe etiam deducenda procul dubio; quando amplissimum illud Cœli Theatrum nova in dies spectacula Observatoribus suis exhibere non desinit; Isti vero iis observandis eo magis intendunt, quod se necessariis ad observandum instrumentis abundantius longe, quam præterlapsis seculis factum, instrutos esse gratulentur, ut iam videbimus.

## S. I.

DE

## SPECULIS ASTRONOMICIS.

**S**pecula nominatur omnis structura, quæ eum in finem erecta est, ut liber in loca circumdata prospectus pateat. In portubus marinis erectæ sunt turres, e quibus naves, per mare adventantes, e longinquo videri possunt, & hæ speculæ marinæ vocantur. In continenti, belli præfertim tempore, eriguntur turres, e quibus milites, vigilias agentes, hostium motus obseruant, & commilitonibus produnt in castris existentibus, hæ dicuntur turres hostiles. Si ædes aliqua exstructa sit, ut inde sydera commode videri, eorumque cursus reæ considerari valeat: Specula Astronomica nominabitur. Quoniam vero sydera in omni cœli plaga comparent, prospectus quoque e Specula Astronomica debet esse in omnem cœli plagam patentissimus, nullis aut domibus, aut domorum tectis, aut vicinis montibus impeditus. Quod ipsum, ut in urbibus obtineri possit, Astronomice Speculæ plerumque ad insignem altitudinem evèhendæ sunt, & vulgo *Turres Astronomicæ* vocitantur. At si locus speculationibus astronomicis destinatus, natura sua, ita comparatus sit, ut liber inde in omnem cœli plagam prospectus pateat, ædificium

Speculæ ad eam solum altitudinem protendere necessum est, quam instrumentorum intus locandorum altitudo requirit. Talis est celeberrima illa, Greenwichii in Anglia, non procul Londino, in colle, circa annum 1675. ercta, quæ nullam contignationem fibi impositam habet. Talis est Vardoehusis, in Lapponia Norwegica, a Celeberrimo astronomo Cæsareo-Regio Maximiliano HELL, anno 1768. exstructa, cujus altitudo decem pedes non superat, quia mare glaciale, insulam ambiens, totum cœlum commodissime spectandum præbet.

Præcipua totius Speculæ pars est cubile illud, in quo instrumenta, faciendis observationibus necessaria, collocantur. Pavimentum hujus convenit esse robustissimum, nulli tremori, aut inclinationi obnoxium, ut locata in ipso instrumenta, firmiter consistere valeant. Si plura numero instrumenta habeantur, prout in Speculis publicis Academiarum Regiarum fieri assulet, neque omnia in uno Observatorio rite locari queant, diverse itidem turriculæ exstruendæ erunt, in quibus illa conserventur, usibus futura, ubi ad nominiores Observationes faciendas, præter ordinarios Observatores, Academici quoque, aut alii Astronomiæ amantes hospites,

com-

comparare voluerint. Ita Specula Cæsareo-Regia Viennensis quatuor turriculas, in totidem ædificii angulis, ex alba lamine artificiose non minus, quam eleganter constructas habet.

Ipsa illa, in omnem cœli partem prospiciendi facultas exigit, ut tecta Observatoriorum sint apertilia, variisque foraminibus pertusa, quæ valvis contegantur, suo tempore removendis, quando nempe sydera observanda prope verticem existunt. Plerumque in Speculis tectorum loco, habentur Subdialia, seu spatiose ambulacra, cancellis incincta, Altanas nominamus, in quibus constitutus spectatoris oculus, dimidiā cœli partem, uno quasi intuitu, videre, & quidquid ibi animadversione dignum geritur, poterit observare.

Sed & ii, quibus observationes facere incumbit, commodam debent habere in Specula mansionem. Si enim accessus, & recessus ab Observatorio, cum majori Astronomi incommodo, & molestia conjunctus sit, desiderium, atque voluptas, noctu præsertim observandi, in animo Observatoris successive imminuetur, fors penitus extinguetur.

Ex his intelligitur: quid de amplitudine ædificii astronomici judicandum sit? Specula privata, seu: unius, alteriusve Observatoris usibus destinata, quales per Europam sparsas, magno numero, novimus, exiguis limitibus circumscribi poterit, neque instrumentis eget aut multis, aut sumptuosis. At Speculas Academiarum Regiarum ita exstructas, atque instructas esse convenit, ut ipsa instrumentorum multitudo, atque varietas, ipsaque stræturae magnificentia, Munificentiam Regiam luculenter contestetur. Talis est illa

Greenwichii, & Oxonii	-	<i>in Anglia.</i>
Parisiis, & Marſſiliæ	-	<i>in Gallia.</i>
Madriti, & Cadix	-	<i>in Hispania.</i>
Bonomiæ, & Mediolani	-	<i>in Italia.</i>
Vindoboniæ	-	<i>in Austria.</i>
Pragæ	-	<i>in Bohemia.</i>
Græciæ	-	<i>in Styria.</i>
Cremifanii, Göttingæ	-	<i>in Germania.</i>
Argentorati, Heribipoli	-	
Monheimii	-	<i>in Palatinatu.</i>
Casseliis	-	<i>in Hassia.</i>
Haffniæ	-	<i>in Dania.</i>
Upsaliæ, & Stockholmiaæ	-	<i>in Svecia.</i>
Petropoli	-	<i>in Moschovia.</i>
Berolini	-	<i>in Prussia.</i>
Leopoli	-	<i>in Polonia.</i>

Sola Ungaria, ad annum usque 1755. nihil simile aspexit. Quando nempe Franciscus Borgias KERI, posteriorum memoria dignissimus, sedem Uraniæ struxit Tyrnaviæ, numeris omnibus absolutam. Non multo post, Carolus e Comitibus ESZTER-HAZY de Galantha Excellentissimus Agricen-sium PRÆSUL, in sua hac urbe, alteram erexit Speculam, a firmitate, elegan-tia, commoditate, & numeroso instru-mentorum, in Anglia constructorum, ap-paratu laudatissimam. Nunc vero Augu-stæ MARIAE THERESIAE clementissimo jussu, tertia erecta est Budæ, Regio Uni-versitatis Budensis Palatio novum etiam splendorem additura. Quam Franciscus WEISS, antehac Tyrnavientium, nunc au-tem Regiæ Universitatis Budensis Astrono-mus Regius, studio suo, & opera, atque vigiliis brevi celeberrimam reddet. Ita factum, ut Ungaria, postquam diu Obser-vatorio caruit, intra breve temporis spa-tium, iisdem abundet. Si tamen abundare dici poterunt, tres Speculæ in Regno hocce amplissimo, quod, præter Univer-sitatem Regiam, quatuor Academiis, & triginta novem Gymnasiis gaudet, quando unica Parisina urbs septem Speculas ce-lebratissimas suo ambitu complectitur. Neque enim tibi obsunt, multitudine sua, Speculæ Astronomicæ, quin potius se mutuo plu-

rimum juvant , quando phœnomena , in uno Observatorio non visa , observantur in altero , aut , si in singulis obseruentur , ipse plurium Observatorum consensus , Observationes ab omni erroris periculo absolvit , iisque certitudinem conciliat , qua majorem habere non possumus.

## §. II.

DE  
INSTRUMENTIS ASTRONOMICIS.

**P**rimum , summeque necessarium Observatori instrumentum est , Horologium accurate elaboratum , quod non solum horas , sed sexagesimas quoque horæ partes , seu *minuta prima* , tum etiam horum minutorum sexagesimas partes , seu *minuta secunda* distincte indicet . Cum enim tempus , quo cœlestia phœnomena obseruantur , non præter propter , aut circiter , sed ad unum , ut ita dicam , momentum , determinari debeat , ordinaria quæ videmus , horologia his usibus minime serviunt , semperque observationis tempore , esse debet aliquis , qui minuta secunda , ab horologio ostensa , clara , & elata voce numeret , & Observatoribus indicet . Horologium hoc motum debet habere æquabilem . Hoc est : quantum temporis , elabitur donec index ab hora duo

duodecima discedens , ad eandem revertitur , tantundem temporis insumere debet index , in omnibus suis consequentibus revolutionibus , si enim revolutiones suas jam citius , jam tardius peragat , vitiosum est , & ab usibus astronomicis removendum . Quia vero Horologia similia constant *Pendulo* , seu : pendente virga metallica , huc atque illuc , cum appenso pondere , oscillante , metalla vero frigore contrahuntur , calore dilatantur , fit , ut pendula hæc hyemis tempore , frigore abbreviata , celerius , æstate vero , calore prolongata , tardius oscillent , quod ipsum in Horologiis publicis frequenter plane experimur . Itaque diversæ huic oscillationum celeritati , subveniri posse debet per depressionem , aut elevationem ponderis , virgæ metallicæ appensi . Nisi forte ita e diversis metallis compositum sit pendulum , ut sese sponte sua ad æquabilitatem oscillationum reducat . Horologia sic ordinata , nequaquam idem tempus ostendent , quod cætera exhibent , quæ secundum ortum , aut occasum solis , vel etiam secundum *Compassus* , aut solaria horologia directa habentur , nisi quater in anno . Alias semper aut aliquanto plus , aut aliquanto minus indicabunt , differentia interdum ad quadrantem horæ excrescente . Cujus rei causa est , quod spatium

temporis, quo sol circa tellurem revolvi videtur, non sit singulis diebus idem, sed interdum longius, brevius interdum. Male itaque ageret, qui horologium suum saccale horologio astronomico in Observatoriis viso, aptaret, nisi quater in anno. Astronomi autem officium est: observare quotidie quantumnam horologium suum differat, seu per excessum, seu per deficitum ab illis, quæ exacte secundum motum solis essent directa. Id quod inventiet, si observaverit, quidnam indices horologii sui ostendant in meridie. Seu quando sol est in circulo meridiano. Hoc ipsum observandi methodus datur multiplex, communis tamen, & optima est, per *Lineam meridianam.*

Est vero *Linea meridiana* talis in pavimento solido ducta linea, ut una ejus extremitas accurate respiciat punctum Septemtrionis, altera vero accurate respiciat punctum Meridiei. Plerique chordam musicalem, aut filum e serico contortum, ope cochlearum extensum, firmant in dicta directione. Extremitati hujus lineæ, qua Meridiem spectat, imminet perpendiculariter, in magna satis altitudine, foramen exiguum, per quod, circa horam diei duodecimam, sol suos radios immittit, &, si Observatorium clavis fenestrarum valvis ob-

obscuretur , circularem aliquam , vel potius Ellipticam sui figuram depingit , quæ ab Occasu in Ortum progredi videbitur . Quando centrum hujus figuræ solaris linéam meridianam attinget , centrum quoque solis attinget circulum meridianum , hoc est : erit hora duodecima . Si ergo Astronomus advertat , quid eo temporis momento , ostendat index horologii sui ? sciet , quantum illud differat a tempore solis vero ; eamque differentiam cæteris diei horis , ab horologio indicatis , convenienter aptabit .

Tertium in Observatoriis Instrumentum est *Quadrans* , seu quarta circuli pars , divisa in gradus nonaginta , quales scilicet totus circulus habet , tercentos sexaginta . Singuli gradus dividuntur in partes æquales sexaginta , seu *minuta prima* . Raro vero hæc subdividuntur in *minuta secunda* , ob defectum spatii . Quadrantibus his communiter affixus est tubus opticus unus , qui altero sui extremo circa centrum quadrantis revolvitur , altero vero , quadrantis limbum ita decurrit , ut in quolibet ejus punto firmari possit . Si *Quadrans* fulcro , tribus , aut quatuor pedibus instruto , impositus sit , inque omnem partem versatilis fuerit , vocabitur *Quadrans mobilis* , quodsi vero parieti ita fuerit affixus ,

ut

ut planum ipsius, piano Meridiei maneat constanter parallelum, *Quadrans* fixus audiet. Usus utrorumque egregius est, in determinandis altitudinibus astrorum supra horizontem, capiendisque distantiis unius astri, ab altero. Quemadmodum autem diverissimæ magnitudinis, ita diverissimæ structuræ in variis Observatoriis hi Quadrantes comparent, quorum singulorum descriptionem facere, nunc quidem minime necessum est.

Alium quoque tubum præstantem, ad manus debet habere Astronomus, *Micro-metro* instructum. Hoc est: tali machinula, qua mensurare possit res parvas, in cœlo conspicuas, uti sunt: *Diametri Planetarum*, & exiguae a se invicem distantiae, quas interdum obtinent. *Micrometra* hæc communiter instructa sunt filis subtilissimis, aut crinibus humanis, varie ad se invicem inclinati, atque ita ordinatis, ut ope cochlearum ad se mutuo adduci, atque iterum diduci queant. Ipse revolutionum, quas cochleæ faciunt numerus, quæ sitas illas diametrorum, & distantiarum magnitudines ad unius pisi exactitudinem ostendet.

*Micrometris* his longe quidem præstat *Micrometrum* objectivum, ultimis hisce tem-

po-

poribus in Anglia elaboratum, e vitris bifariam sectis, constans. Sed ob ingens pretium, apud nos adhuc rarissimum.

Angliæ quoque debemus *Telescopia* e duobus metallicis speculis composita, quorum illa vocantur *Gregoriana*, in quibus spectator oculum ad finem tubi applicare debet, objecta visurus per foramen, quod in speculo majori existit, si vero a latere tubum introspicere debeat, *Newtonianus* vocatur. Utrique ob præclarum augmentum, quo objecta repræsentant, & magis etiam ob commoditatem cum ipsis observandi, laudatissimi sunt. Cæterum omnibus tubis opticis palmam præripiunt *Dolondiani*, ut nunc in Anglia construuntur, tubi. Qui licet sint breves, stupendum tamen effectum habent, Planetasque, ipso etiam die, spectandos exhibent.

In plerisque Speculis habetur *Camera obscura*, in qua ope speculi versatilis, objecta extrinsecus posita, nativis suis coloribus elegantissime depicta repræsentantur; jucundissimum est intuentibus spectaculum, videre super mensa ambulantes homines, currentia pecora, volantes aves, aquarum fluctus, agitata a vento arborum folia, & sexcenta similia, quæ extra cameram contingunt. Et quoniam præstan-

tia

tia *Camera obscuræ*, a situ objectorum circumpositorum pendet, is, qui novit, juxta Speculam Budensem defluere Danubium, existare navalem pontem, adsitam Pestinensem urbem, facile intelliget, nullam in Europa cameram obscuram parem huic reperiendam. Præter voluptatem oculorum, egregiam utilitatem *Camera obscura* præbet pictoribus, domos turres, montes, & totam circum viciniam delineare volentibus. Sed & Astronomi cœlestia phœnomena, præsertim Eclipses solis, ope hujus observare noverunt.

Omnibus hisce, quæ nunc retuli, Instrumentis carebant Veteres. Pendulorum horologiorum loco, *Sciatericis*, hoc est: horologiis solaribus utebantur, Quadrantes suos, e ligno solummodo constructos habebant, & tubis opticis destituti, inerimi oculo cœlum spectare cogebantur. Tamen, quod mirere, observationes nobis reliquerunt perquam exactas, quod magnam Eorum in observando industriam, atque operosam sedulitatem apud gratos posteros plurimum commendat.

## §. III.

DE

## OBSERVATIONIBUS ASTRONOMICIS.

**S**i nocte innubi cœlum intueamur, illud nobis instar hemisphærii concavi videbitur, in cuius centro sit ipse noster oculus. Sydera, diversæ quidem magnitudinis, at in eadem a nobis distantia, collucere undique spectabuntur; quorun illa, quæ Occidentem sunt proprius, infra horizontem successive se abdent, emergentibus eorum loco aliis, atque aliis, ex illa horizontis plaga, quam Orientalem appellamus. Iste syderum alternatim occumbentium, atque iterum exorientium aspectus, ideam nobis ingenerabit, motus cujusdam toti cœlo communis, vi cujus illud, circa duo puncta immota, quasi geminos Polos, intra viginti quatuor horas, ab Ortu in Occasum cum omnibus astris rotaretur.

Sydera s̄p̄ius contemplati videbimus, pleraque eorum, eandem semper a se iuvicem habere distantiam, atque ita cum toto cœlo rotari, ac si ejusdem superficie forent affixa, unde *Stellas fixas* appellare licebit. Aliqua vero sydera videbimus, suum in cœlo locum mutare, a de-

determinatis stellis fixis Ortum versus successive removeri, donec confecta orbita sua, ad easdem parte ex altera revertantur. Itaque *Stellas Errantes*, vel *Planetas* appellabimus. Quorum septem duntaxat numerabuntur, scilicet : *Luna*, *Venus*, *Mercurius*, *Sol*, *Mars*, *Jupiter*, *Saturnus*.

Adhibitis præstantioribus tubis, videbimus circa Saturnum quinque, circa Jovem vero quatuor lunulas revolvi, quæ ipsorum *Satellites* appellantur.

Si aliquando acciderit, ut repente in cœlo compareat corpus lucidum, non ante visum, cauda, barba, aut crinibus instructum, & post aliud apparitionis tempus iterum dilabatur, *Cometam* vidimus.

Omnia hæc alio longe, atque vulgus, oculo aspiciet Observator Astronomus. Imprimis quidem: figuram cœli aspectabilis non esse hemisphæricam, evidenter conciudet inde, quod sphæra unicum duntaxat centrum habeat; cum ergo Spectatores singuli, a se etiam remotissimi, in centro hujus sphæræ se existere arbitrentur, omnes, præter unum decipi necesse sit. Sed & causam falsi hujus judicii in eo esse repositam, intelliget. Quod Opticae ignari arbitrentur lñgula sydera

æqualiter a nobis distare. Id nequaquam ita esse , liquido deprehendet, ubi nos sibi praxibus, in Distantias Astrorum inquisiverit, easque diversissimas invenerit.

De Magnitudine quoque Syderum, aliud, atque vulgus, judicium feret. Neque Lunam Soli æqualem, aut Saturno majorem dicet, bene gnarus , ex Opticis, corpora eo minora videri, quo magis removentur ab oculo. Itaque in varias Syderum Magnitudines, notis sibi praxibus, diligenter inquiret.

Multitudinem Stellarum, nequaquam otioso oculo, intuebitur. Sed Locum, quem singulæ in Cœlo occupant, notis iterum sibi praxibus, quam exactissime determinabit.

Planetas in Cœlo errantes, intuitu suo, diligenter comitabitur, videbitque quotidie, quantum , & in quam nam Cœli partem stationem suam mutaverint ?

Primis statim Mensibus advertet, Lunam moveri circa Terram. Ita quidem, ut eandem nobis semper Faciem obvertat, easdem semper Maculas spectandas exhibeat. Id quod, ex Regulis opticis, intellegit, omnino fieri non posse , nisi Luna

eodem tempore, quo Revolutionem unam circa Tellurem absolvit, etiam circa axem suum semel revolvatur. Solem, mundissimum illud, vulgi opinione, Sydus acutius contemplatus, in illo quoque, praeter spem, maculas nigerrimas observabit, easque jam plures, jam pauciores, modo majores, modo minores, nunc in uno limbo Solis, proxime in altero existentes. Ex isto macularum motu, rite observato, concludet, Solem quoque circa axem suum revolvi.

Hunc Rotationis motum postquam in Luna, & Sole detexit, ad vertet animum ad reliquos Planetas, videbitque singulos, tempore licet dispari, circa axem suum rotari.

Quid mirum: si in mentem ipsi venerit hæc Argumentatio? Singuli Planetæ rotantur circa suum axem, ergo etiam Terra.

Quia tamen hic Motus vulgi captum fere excedit, de certitudine argumentationis suæ, non multum litigabit, cum præsertim eadem in Cœlo Phænomena apparere debeant, seu dicamus: Cœlum cum suis Stellis quiescere, Tellurem vero intra 24. horas, circa suum axem ab Occasu in

Or

Ortum revolvi. Seu dicamus : Terram stare , & Cœlum cum suis innumeris , maximisque Corporibus intra 24. horas stupenda Celeritate ab Ortu in Occasum abripi. Quando certa lex optica est : ut Spectator reipsa in motu positus , sed quiescere se putans , motum suum aliis objectis , reipsa quiescentibus , attribuat . quidem in directionem contrariam , ut fecit VIRGILIUS navigans : *Terræque, Urbesque recedunt.*

Quodsi Sydus aliquod totaliter , aut ex parte , per interpolationem alicujus Planetæ , conspectui nostro eripiatur , uti semper in Eclipsibus accidit , Momentum temporis , quo Phœnomenon incipit , & finitur , solerter adnotabit . Sol eclipsatur a Luna interdum , rarius a Mercurio , & Venere . Quod Phœnomenon , *Transitum Mercurii* , aut *Veneris* , *infra discum Solis* appellamus . Initium , & finem , *Transitus* , ut Observare possint Astronomi , magnis plerumque itineribus , Polos versus proficiisci debent . Itinera hæc , quantis Regum expensis ? quautis Astronomorum fatigiis ? sed & quantis Boni Publici Utilitatibus peragantur ? ex Historia anni 1769. satis liquet , & ipse quoque expertus sum , quando cum Celeberrimo Astronomo Maximiliano HELL a CHRISTIA-

NO VII. Danorum REGE in Lapponiam evocato , Vardoehusium Insulam , extra Europæ fines , in mari glaciali iitam , pætii , ibidemque 3. Junii *Transitum Venereis* observavi , nonnisi anno 1874. & quidem 8. Decembris iterum conspiciendum.

Non Solem tantum , sed etiam Stellas nobis Luna interdum obtegit . Quod Phœnomenon *Occultationem Stellarum* nominamus . Jucundum sane Observatu propterea , quod , si Luna parte sui obscura Stellam obtegat , id fiat intra icum oculi , adeoque observari posse ad certitudinem unius dimidii Secundi Minuti .

Sicut Luna nostra lucere desinit , quando in umbram Telluris immersitur , receptura iterum lucem , ubi ex umbra emerſerit , ita *Satellites* quoque Saturni , & Iovis ; si in umbram Primarii sui Planetæ deveniant , lucem amittunt , recipiuntque iterum ex umbra emergentes . *Immersiones* has , atque *Emersiones* sane frequentes , diligentissime Observant Astronomi , ob præstantem earum in re Geographica , & Nautica usum .

Observationes Cometarum , ipsa Cometarum raritas , raras facit . Sed & Observatorum , in Observando , diligentiam mirifice

rifice provocat ; dumque Urbs tota , ex aspectu Cometæ funesta quæque ubi , & Orbi tremebunda præfigit , Astronomus nihil eorum veritus , sollertiaſſime Cometam Observat , apparentes ejus Magnitudines metitur , varias a variis Stellis Distantias inquirit , determinat Loca cœlestia , per quæ Sydus vagatur . Bene gnarus , quod quo plures , & veriores hujus generis Observationes habentur , eo certius reperi- ri possit via , quam Cometa in Cœlo de- scribit , eoque certius prædicti , quando nam iterum Posteros noctis invisurus sit ? qua quidem Prædictione quid pulchrius ? quid humano Ingenio honorificum magis ?

Sed & Aurora Boreales , seu Trabes illæ lucidae , aliæque figuræ , quæ interdum post Occasum Solis , aut ante Ortum in parte cœli Septentrionali , non sine aliquo vulgi horrore , conspiciuntur , ad Astronomos pertinent . Posteaquam enim Cel. HELLIUS in sua *Theoria nova Aurora borealis* demonstravit , eam haberis a minimis particulis glaciaitis , e quibus dein nives componuntur , iisque a Sole , vel Luna etiam infra Horizontem existente , illuminatis . Phœnomenon hocce , non jam , ut purum Meteorum , in Aeris scilicet regione existens , considerandum est , sed Methodo Astronomica , ab Ipso Authore præ-

scripta , Observandum , præsertim : quoad situm Solis , & Lunæ . E quibus dein Observationibus non Famen , Pestem , aut Bellum , sed Hyemem potius serenam , & vel ideo frigidam , & plurimum nivosam Astronomus prædicet.

Ex ejusdem Solis , & Lunæ vario situ , atque distantia , si aliquando Posteri , uti præsagio , varium Mercurii in Barometro ascensum , & descensum repetierint , ad eam fere rationem , qua nunc Fluxum , & Refluxum Maris , a diverso Lunæ positu , repetimus , Observationes quoque Barometricæ ad Astronomos pertinent , & ternis ad minus quotidie vicibus , Altitudo Mercurii in Barometro adscribenda erit.


Pari forma , ter in die adnotatur gradus caloris , vel frigoris , quem Thermometra , eum in finem constructa , exhibent . Quodsi præterea adnotentur Venti , & quanam mundi plaga spirent ? si Aeris tempestas , quæ in Athmosphæra nostra per quam mutabilis est , si Nivium , & Pluviarum decidentium quantitas observanda suscipiatur : Egregie profecto occupabitur Observator , & quidem totum per annum quotidie . Neque scio , an unius alteriusve ministerio Omnia Hæc præstari queant ? Atque ideo in Celebrioribus Observatoriis

riis Consuetudo obtinuit, ut Quatuor, aut etiam Quinque habeantur Observatores Se-  
cundarii, qui consuetos labores diurnos,  
& nocturnas vigilias partiantur, ne ullum  
in Cœlo phœnomenon inobservatum præ-  
tereat.

Illud quoque facile intelligitur, Obser-  
vatorem Astronomum esse debere Virum  
Industrium, Laborum, atque Vigiliarum  
patientem, speciali præterea Genio, atque  
Inclinatione advensum Phœnomena Cœle-  
stia ferri. Arithmetica, Geometria, Tri-  
gonometria tum Plana, tum Sphærica,  
aperte instructum, in Optica, Dioptrica,  
Catoptrica, Mechanica egregie versatum,  
quo scilicet Machinas suas regere, Tele-  
scopia, & Tubos apte disponere queat,  
ne aut illa non videat, quæ in cœlo sunt,  
aut ea sibi videre videatur, quæ non  
sunt, uti nuper cum *Famoſo illo Veneris*  
*Satellitc accidisse legimus.*

Non ſemper ea ſunt, quæ videntur.  
Decipit frons prima multos:  
Rara Mens intelligit,  
Quod interiore condidit cura angulo.

PHÆDRUS.



CA-

## C A P U T . II.

DE

A S T R O N O M I A  
C A L C U L A T O R I A.

Astronomia Calculatoria est ars ex Observationibus Astronomicis, operis arithmeticarum operationum, seu *Calculorum*, ea deducendi, quæ ad usus Astronomie Physicæ pertinent. Observationes enim, prout in Speculis fiunt, annunciant nobis dantaxat quænam Phœnomena? & quo Tempore, in Cœlo visa sint? & quænam Loca in Cœlo occupaverint Astra Observationis tempore? Astronomus vero, & illud scire debet, quandonam illa Phœnomena sint iterum redditura, & quæ nam Loca occupatura sint Astra quocunque tempore futuro? Id quod, sine multiplici computu, atque *Calculis* inveniri non potest. Itaque officium Observatorum in diversis Speculis existentium est: Observationes suas Scripto, aut Typis expressas, cum Calculatoribus summa, & integerrima Fide communicare. Nihil æque inter Astronomos Sacrum, Sanctumque, atque Fides hæc publica, quam si quis rumpere attentaret, næ ille pœnas ingratas a Collegis suis experiretur. Neque enim Calculatores im-

po-

posturas sibi fieri ab Observatoribus patiuntur. Quod si acciderit, ut Observator aliud tempus , aliumve locum peracti in Cœlo Phœnomeni adscribat, quam reipsa deberet: Errorem protinus advertet Calculator Astronomus, imo: quantum erratum sit? deteget: &, an in locatione Instrumenti , an in regulatione horologii error lateat ? pronunciabit , Observacionemque erroneam declarabit. Cæteras vero Observationes examini subjiciet, visurus an inter se fere consentientes sint ? & vel ideo certæ , an vero dissentiant ? & vel ideo dubiæ. Rejectis iis, quæ notabiliter differunt, inter cæteras accipiet Quantitatem aliquam medium , eamque pro veræ proxima habebit. Utque ordine procedat: Imprimis Observationes circa Stellas fixas factas , tum eas , quæ Planetas concernunt, ac tandem Observationes extraordinarias suis Calculis subjiciet, quibus terminatis, conscribet Catalogos Stellarum, Tabulas Planetarum coordinabit, & per Ephemerides Astronomicas prænunciare gestiet , quænam in Cœlo Phœnomena? quando? & ubi eventura sint? Præsagia hæc cum Observatoribus communicata, Ipsi avide arripient, solerterque observabunt, num cum Cœlo consentiant? si ita: ablis calculis Calculatoris labor approbabitur , sin minus , sincera libertate admone-

nebitur palam , & quantum ? atque ubi ?  
a veritate aberraverit , edocebitur.

## §. I.

## DE

## CATALOGIS STELLARUM.

**P**erfectam positionis illius , quam Stellæ habent notitiam , totius Astronomiæ Fundamentum esse , novere Astronomi. Cum enim Planetarum vias , quas faciunt , observare , & quas facturi sunt prædicere nequeamus , nisi illos identidem cum Stellis fixis , tanquam Terminis immotis , conferamus , summe necessum est , ut Termino um horum immotorum loca , ex factis Observationibus Calculator inquirat , & ad amissim determinet. Id quod facturi Veteres totam cœlestem Sphærām in duas partes æquales imaginatione sua divisere , ope Circuli cuiusdam ab utroque Polo æque distantis , quem *Æquatorem* appellant. Circulum hunc alter , quem Sol motu suo annuo describere videtur , intersecat sub angulo 23. graduum , *Ecliptica* appellatus , quiq[ue] in duodecim partes æquales , seu totidem *Signa* dividitur ; assiquatis cuilibet signo gradibus triginta. Punctum intersectionis , ubi *Ecliptica* Septemtrionem versus protensa , *Æquatorem* in-

interfecat, *Initium Arietis* vocabimus. Iste  
 quoque Circulus Cœlum in duo hemisphæ-  
 ria dividit, quorum illud, in quo Polus  
 Septentrionalis existit, *Septemtrionale*, vel  
*Boreum* appellatur, alterum in quo Polus  
 est Meridionalis, *Meridionale*, vel *Austra-  
 le* dicitur. Et quemadmodum Geographi  
 superficiem telluris nostræ in varias Re-  
 giones, atque Provincias dispescunt, sin-  
 gulis certas Urbes, Oppida, Pagosque as-  
 signando, ita Astronomi quoque utrumque  
 Cœli hemispærium in varias divisere Re-  
 giones, singulis certam Stellarum Conge-  
 riem assignantes, quas ipsas Stellarum  
 congeries *Constellationes* appellant. No-  
 mina Constellationibus imposuere, ab iis  
 rebus mutuata, quarum figuræ Stellæ, situ  
 suo, aliquomodo imitari videbantur. Hac  
 ratione factum, ut duodecim Constellatio-  
 nes, quæ in, aut prope Eclipticam con-  
 spiciuntur, vocatæ fuerint: *Aries. Taurus.*  
*Gemini. Cancer. Leo. Virgo. Libra. Scor-  
 pius. Arcitenens. Caper. Amphora. Pisces.*  
 Reliquæ Constellationes, quæ in hemi-  
 sphærio Septentrionali existunt, hisce no-  
 minibus gaudent: *Ursa major. Ursa mi-  
 nor. Draco. Cepheus. Cassiopeja. Androme-  
 da. Perseus. Pegasus. Equuleus. Triangu-  
 lum. Auriga. Coma Berenices. Corona. Ser-  
 pentarius. Serpens. Hercules. Aquila. An-  
 tinous. Sagitta. Lyra. Cygnus. Delphinus.*

Con-

Constellationes, quæ hemisphærium Meridionale occupant, sunt sequentes: *Orion.* *Cetus.* *Erydanus.* *Lepus.* *Canis minor.* *Canis major.* *Hydra.* *Crater.* *Corvus.* *Centaurus.* *Lepus.* *Ara.* *Piscis.* *Argonavis.* *Corona australis.*

Hisce Constellationibus a Recentioribus Astronomis additæ sunt aliæ, quarum tamem plerque circa Polum Australem positiæ, ab Incolis nostrarum terrarum videri non poterunt.

Ut locus, quem Stellæ, aliaque Sydera in Cœlo occupant, determinari queat, ad duos illos supradictos Circulos, *Æquatorrem* scilicet, aut *Eclipticam* referri debent. Quodsi Syderis cujuspiam distantia ab *Initio Arietis* computetur in *Æquatore*, habebitur ejusdem *Ascensio recta*, si vero computetur in *Ecliptica*, habebitur ejus *Longitudo*. Si distantia ejusdem Syderis Austrum, vel Boream versus computetur ab *Ecliptica*, vocatur ipsius *Latitudo*, si autem computetur ab *Æquatore*, erit ipsius *Declinatio*. Simili scilicet modo, quo in *Geographia* fieri videmus, ubi distantia cujusdam Urbis ab *Æquatore* vocatur ejus *Latitudo*, distantia vero a *puncto*, in quo primus Meridianus *Æquatorem* intersecat, ejusdem *Longitudo*. Quemadmodum autem

Geo-

Geographus, habita Longitudine, & Latitudine loci, illico designare poterit ubinam terrarum locus ille sit positus? ita Astronomus, rescita *Ascensione recta*, & *Declinatione Syderis*, vel ejusdem *Longitudine*, atque *Latitudine*, designare poterit locum, quem in Cœlo occupat.

Itaque Astronomus Constellationes singulas pulchro ordine describet. Singulas Stellas, in qualibet Constellatione politas, usitatis compellando nominibus, aut si nominibus propriis carent, ipsas designabit per litteras, ex Alphabeto græco, vel latino desumptas. Adscribet cuilibet Stellaræ suam *Ascensionem rectam*: & *Declinationem*, *Longitudinem* item, atque *Latitudinem*. Sed & singulis adjicit apparentem suam Magnitudinem, eas quæ præcipuo fulgore micant, primæ Magnitudinis appellabit. Eæ quæ minus lucent, vocabuntur secundæ Magnitudinis, quæ adhuc minus tertиæ, & quartæ, quæ vix videri poterunt quintæ, sextæve, quæ solum Tubis conspicuæ sunt, septimæ, aut octavæ Magnitudinis audient. Totum hocce suum opus *Catalogum Stellarum* nominabit.

Talem Stellarum Catalogum centum sexaginta annis ante natum Salvatorem concinnavit HYPARCHUS, mille viginti duas

Stel-

Stellas in se complectentem. ULUGBEIG quoque Persiæ Princeps, Magni TAMERLANI Nepos, Catalogum confecit mille sexcentarum Stellarum. TYCHO, BAYERUS, RICCIOLUS, HEVELIUS aliique, varios nobis Catalogos reliquerunt. Nemo tamen pulchriorem, atque FLAMSTEDIUS, Astronomus Anglus, in quo tria Stellarum millia recenset. Sed hunc numerum ad undecim fere millia auxit, nostro hoc ævo Immortalis Ille La CAILLIUS Gallus ex Observationibus propriis, partim in Europa, partim in Africa factis.

Habitis Stellarum Catalogis, non erat difficile, Globos artificiales cœlestes construere, qui situm, positumque Constellationum, atque Stellarum, quem in cœlo obtinent, exacte repræsentent; prout scilicet globi artificiales terrestres, situm variarum Provinciarum, & illustrium Urbium repræsentant. Globi cœlestes, quos BATECOMBUS, REGIOMONTANUS, GEMMAFRISIUS, & vel maxime Cl. BLEAU, atque Gulielmus de L'ISLE construxerunt, Musæa, Bibliothecasque Regias insigni ornamento decorant.

Erant Alii, qui Configurationes hæsce cœlestes in Chartis planis exhibere maluerunt, ut uno quasi intuitu, quænam Stel-

Stellæ alias præcedant? quasve sequantur? quantumque a se invicem distent? vide-re liceat. Omnia hæc ad præclaros Astro-nomorum usus elaborata sunt. Qui dum Planetam aliquem, aut Cometam in Cœlo aspiciunt, ejusdemque locum determina-re volunt, id non alia via præstant facilius atque Stellarum ope. Quod si enim per Micrometrum observent, quantum Planeta a Stella vicinore distet Occasum, aut Ortum-versus? quantumque ab ea di-stet versus Astrum, vel Boream? eas-demque distantias Ascensioni rectæ, & De-clinationi Stellæ illius, in Catalogo expre-sse, addant, vel subtrahant, obtinebunt ipsius Planetæ ascensionem rectam, & de-clinationem, qua habita, Punctum quoque Cœli, in quo Planeta existit, innotescet, tanta cum certitudine, quanta determina-tus habetur in Catalogis Stellarum Stellæ illius locus.

Dicet fortasse aliquis: Si hæc Stellarum coordinatio ab Antecessoribus tam diligenter observata fuit, si tam accurate in Ca-talogos relata, in Globis, Mappisque Cœle-sibus expressa, tum vero moderni Obser-vatores rem jam conjectam inveniunt, seque a labore illarum Observationum, atque Calculorum, absolutos vident. Ita quidem sentient non Astronomi, at Astro-no-

nomus, postquam Majorum suorum Fatigia, amplissima gratitudine, fuerit reveritus, officii sui esse censebit, eadem continuare, & accuratioribus præsertim instrumentis, altius, & ad majorem subtilitatis gradum cœpta provehēre. Quod nisi cogitasset La CAILLIUS, Catalogum HY-PARCI mille viginti duarum Stellarum, non evexisset ad numerum undecim mille, qui multum certe adhuc abest ab illo, de quo dicitur: Numera Stellas cœli si potes!

## §. II.

## DE

## TABULIS PLANETARUM.

**D**iximus supra: Observatorem Astronomum plurimum occupari in determinandis locis variis, quæ Planetæ in Cœlo constanter progredientes, variis temporibus occupant. Quod si sufficienes Observations, aut unius aut plurium, aut omnium Planetarum obtinuerit Calculator Astronomus, primum omnium inquiret in tempus Periodicum Planetæ, seu quotnam Annis, Diebus, Horis, Minutis, etiam Secundis indigeat? donec orbitam suam ad Punctum Äquatoris Äquinoctiale relatam, decurrat. id quod Periodum Tropicum appellamus. Varii Calculatores ex variis

Ob-

Observationibus , varia deduxerunt tempora , sed varietas hæc plerumque in minutis secundis, raro in primis, consistit. Juvat adferre periodum Tropicam Pianctarum

Secundum HALLEYUM.

	A.	D.	H.	M.	S.
<i>Saturnus eget</i>	-	29.	165.	13.	14. 42.
<i>Jupiter</i>	-	-	11.	315.	8. 35. 4.
<i>Mars</i>	-	-	1.	321.	22. 18. 19.
<i>Sol, vel Terra</i>	-	-	365.	5.	48. 55.
<i>Venus</i>	-	-	224.	16.	41. 30.
<i>Mercurius</i>	-	-	87.	23.	14. 34.

Secundum WARCENTIN.

<i>Satelles Jovis I.</i>	-	-	1.	18.	27.	33.
<i>Secundus</i>	-	-	3.	13.	13.	42.
<i>Tertius</i>	-	-	7.	3.	42.	33.
<i>Quartus</i>	-	-	16.	16.	32.	8.

Secundum CASSINUM.

<i>Satelles Saturni I.</i>	-	-	1.	21.	18.	27.
<i>Secundus</i>	-	-	2.	17.	44.	22.
<i>Tertius</i>	-	-	4.	12.	25.	12.
<i>Quartus</i>	-	-	15.	22.	34.	38.
<i>Quintus</i>	-	-	79.	7.	47.	0.

Habito revolutionis tempore, videtur facile posse per regulam auream inveniri, quotannam partem orbitæ suæ describat Plaueta intra diem , horam , minutum ?

adeoque loca cœlestia determinari, in quibus Planeta nunc visus, post diem, horam, minutum extiturus est. Interim tamen maximam isthic experimur difficultatem, eamque ex dupli capite. Primo quidem, quia nullius Planetæ, excepto Sole, revolutionis tempus ita exacte determinatum habemus, ut non aliquantum differamus a vero. Hæc quidem differentia primis annis vix erit sensibilis, at progressu temporis crescit semper, atque accrescit, donec tandem multum notabilis evadat. Secundo : Proportiones illæ per Regulas aureas instituendæ, supponunt, Planetas motu semper æquabili, hoc est: eadem celeritate, in singulis orbitæ semper suæ punctis, moveri. Cum tamen re ipsa celeritatem suam perpetuo mutent, utpote, quæ per dimidiæ orbitæ partem semper crescit, per alteram partem dimidiæ semper decrescit, prout scilicet a corpore illo, circa quod volvuntur recessunt, aut ad ipsum accedunt magis. Sed & alia corpora cœlestia Planetis vicina eorumdem celeritatem mirifice perturbant, eam jam augendo, jam minuendo, pro diverso situ, & distantia quam respectu Planetarum habent. Dumque alia astra Planetæ celeritatem augent, alia eandem sëpe immuniunt. Omnes has perturbatrices causas, earumque effectuum quantitatatem præ oculis

lis habere debet Calculator, ne in proportionibus faciendis aberret, inveniatque veram illam celeritatem, qua Planeta in diversis orbitæ suæ partibus moveri debet.

His attentis Calculator quæret locum, quem Planeta aliquis, v. g. Sol initio anni occuparet, si motu medio, seu: si celeritate semper æquabili, atque eadem moveretur. Idque non tantum pro initio anni præsentis, sed pro multis annis præteritis, multisque futuris. Eadem loca media determinabit, pro quolibet anni mense, cuiusvis mensis die, pro qualibet diei hora, minutis primis, atque etiam secundis. Pro quilibet tali loco medio calculabit incrementum, aut decrementum celeritatis, quod a Luna, Venere, Jove, aliisve de causis producitur. Calculabit pro diebus singulis distantiam Solis a Terra, ejus apparentem magnitudinem, seu diametrum. Pluraque alia Astronomorum usibus necessaria. Quod de Sole diximus idem præstabit de Luna, Mercurio, Venere, Jove, atque Saturno. Quæ omnia ubi pulchro ordine descripserrit *Tabulas Planetarum* construxisse dicitur. Quarum ope Planetarum Locus non iam medius, sed verus quoque, quem in Cœlo occupaturi sunt, aut aliquando occuparunt, inveniri poterit.

Antiquissimæ hujus generis Tabulæ , quæ  
 anno 1080. Toledi in Hispania prodie-  
 runt, Authorem habuere incomparabilem  
 illius ævi Astronomum ARZACHEL.  
 Sed has tardius ipse Rex ALPHONSUS,  
 Regali industria correxit , unde Tabulæ  
 Alphonsinæ enatæ sunt , longo tempore  
 Astronomis usitatæ. Anno 1551. REIN-  
 HOLDUS Tabulas a se factas ALBERTO  
 Borussiæ Duci dedicavit. KEPLERUS  
 quoque Tabulas edidit RUDOLPHINAS.  
 Tabulæ Planetarum HALLEY Angli , &  
 aliæ Tabulæ CASSINI Galli , ultimis tem-  
 poribus floruerunt. Exactissimas Solis Ta-  
 bulas de La CAILLIO , Lunæ vero Tobiz  
 MAYERO in acceptis referimus. Tabu-  
 las Satellitum Jovis itidem exactissimas  
 unicus, quod sciam, WARGENTIN Astro-  
 nomus Svecus edidit , e quibus calculari  
 possit , quandam Satelles in umbram sui  
 Primarii Planetæ immergendus sit , quan-  
 donam emersurus ? Tabulæ de quibus  
 locuti sumus , in variis Astronomorum  
 operibus exstant. Maximilianus quoque  
 HELL Tabulas Planetarum a se corre-  
 ctas , & auctas edidit sub forma appendi-  
 cum ad Ephemerides suas annuas Viennæ  
 impressas , & seorsum quoque haberi po-  
 terunt. Rectum Tabularum usum , addi-  
 tæ Regule , & exemplis illustratæ Lecto-  
 rem docent , suntque iis præfertim neces-  
 sa-

sariæ, quibus Ephemerides Astronomicas  
calculare incumbit.

### §. III.

DE

#### U S U E P H E M E R I D U M .

Prodeunt Londini, Parisiis, Bononiæ,  
Mediolani, Berolini, Viennæ alibi-  
que Calendaria Astronomica, passim *Ephe-  
merides* muncupata, improbo sane Calcula-  
lantium labore, sed præstantissimo simul,  
Observatorum per orbem sparsorum usu.  
In quibus scilicet, Planetarum omnium  
in Cœlo quasi peregrinantium via, quam  
eo anno facturi sunt, ita prædictitur, ut si-  
mul loca singula, quæ cujuslibet diei duo-  
decima hora occupabunt, quasi totidem  
hospitia denominentur. De Sole quidem  
fuse agitur. Exponitur enim in dies sin-  
gulos in quali signo Eclipticæ, in quoto  
gradu, in quoto minuto, etiam secundo  
unius Gradus existat? quantum item, & qua-  
versus ab Äquatore declinet? quanta  
celeritate qualibet hora moveatur? quan-  
tum supra Horizontem in meridie emi-  
neat? quantæ magnitudinis appareat Dia-  
meter? quantum a Terra distet? quando  
oriatur? & occidat. Hæc, & plura etiam  
referuntur de Luna. Apponitur in dies

singulos ejus Longitudo , Latitudo , Declinatio , Ascensio recta , Hora Culminacionis , seu quando futura sit in Circulo Meridiano . Quando Novilunium & Plenilunium , primus , atque ultimus Quadrans eveniat ? quas Stellas suo corpore obiectura , ad quas vicinus , accessura sit . Omnia hæc etiam de Planetis cæteris calculata habentur . Pulchrum videre est , situm illum typis expressum , quem 4. Satellites Jovis , circa suum Primarium , hora aliqua noctis habent . Addito tempore , quando in Umbram Primarii immergantur ? & quando emergant iterum .

Referuntur in his Ephemeridibus Catalogi Stellarum insignia , cum multiplicibus Tabulis , ope quarum varia Astronomica Problemata resolvi debent , referuntur etiam praxes variæ , e quibus Tyro Astronomus Methodos Observandi , variaque Phœnomena Calculandi condiscere possit . Multaque præterea alia .

Habitis hisce Ephemeridibus Observator Astronomus uno quasi intuitu videt , quidnam , & quando , & in quanam Cœli plaga sequenti nocte Observandum immineat . Itaque , factis necessariis dispositionibus , sui securus prætolabitur præscripta Observationibus tempora , eaque tantillo præveniet ,

niet, de eo unice sollicitus, ne inimicæ Observationibus nubes desiderio ipsum suo defraudent. Plurima certe Phœnomena inobservata præterirent, si Observator quotidie e Tabulis Planetarum in ipsorum loca calculo molestissimo inquirere deberet, futuraque perscrutari Phœnomena, aut si plane ea solum sibi Observanda putaret, quæ temere, & casu per Tubos aspicienti, in oculos incurruunt.

Quod si factis plurimis Observationibus Observator intellexerit, loca Planetarum a se observata, eadem omnino esse, quæ in Ephemeridibus ponebantur; si animadverterit Phœnomena varia iisdem præcise momentis accidisse, quibus eventura prædicebantur, laudabit Ephemerides, multo autem etiam magis extolleat Tabulas, e quibus Ephemerides illæ calculatæ habentur. At vero, si loca Planetarum observata, differant a locis, quæ vi Ephemeridum occupare debuissent, si Phœnomena tardius, aut citius eveniant, protinus apparebit errores latere in Tabulis necessario corrigendos.

Id quidem Author ipse Tabularum faciet solertissime, ubi sufficietes Observationes sibi communicatas habuerit. Ex correctis hac ratione Tabulis iterum se-

quentibus annis Ephemerides calculabuntur, & num Tabulæ rite correctæ sint? per Observationes investigabitur. Fiet interdum, uti jam sèpius factum, ut Tabulæ primis annis satis cum Cœlo consentire videantur; at post lapsum annorum pluriū notabiliter dissentire depræhendantur. Cujus rei causa est, quod similiū Tabularum error ita modicus, & exiguis sit, ut primis annis vix animadverti possit, sed quoniam singulis annis error idem repetitur, augebitur sane, & crescat, ac tandem notabilis evadet. Veniat, exempli gratia, Astrum aliquod *tribus* minutis tardius ad eum locum, quem vi Tabularum jam nunc occupare deberet, una facta revolutione jam *sex* minutis tardius eo perveniet, post alteram revolutionem minutis *novem*, post quintam integro Quadrante. Errore utique multum notabili.

Ex his apparet, quemnam nexum interesse habeant Astronomus Observator, & Astronomus Calculator. Ille sine Calculis Observare poterit parum; Iste sine Observationibus calculare poterit nihil. Etsi enim ex Hypothesi aliqua speculativa varias prædictiones fecerit, & ventura Phœnomena prænunciaverit, prædictiones ipsius tamdiu manebunt incertæ, & dubiæ donec per Observationes multas, & mul-

to-

torum quidem annorum fuerint confirmatae. Utque verum fateamur: unicas habemus vere accuratas Tabulas, quas LACAILLIUS de Sole, itemque TOBIAS MAYER de Sole, & Luna edidit. Reliquæ Planetarum Tabulæ licet jam toties correctæ, a summa tamen exactitudine plus, minusque deficiunt; non quidem Observantium, aut Calculatorum vitio, sed ob ipsam delicatissimam Astronomiæ subtilitatem, conditionemque naturæ, quæ se, & effectus suos, suumque operandi modum occultare, humanæque menti subducere ideo fortasse consuevit, ut Autorem ipsius tanti majoris æstimare disceremus.

Felices animos, quibus hæc cognoscere primis,  
Inquæ domos superas scandere cura fuit.  
Admoveare oculis distantia Sydera nostris  
Ætheraque ingenio supposuere suo!

OVIDIUS.



## C A P U T I X X I I .

D E

A S T R O N O M I A  
P H Y S I C A .

Super omnes hactenus Philosophos nostris hisce temporibus, caput extulit Isaacus NEWTONUS Anglus. Causas effectuum, quos in Globo nostro terra-queo videmus, ita investigavit, ut nemo acutius, ita detexit, ut nemo felicius. Utroque ex capite nomen sibi comparavit apud Posteros omnes immortales. At vero quantum quantum est illud, quod præstítit totum Astronomiæ imprimis quidem Observatoriæ, tum Calculatoriæ in acceptis est referendum. Nunquam enim NEWTONO venisset in mentem, neque venire potuisset, de lege illa gravitatis universalis cogitare, nisi ex Observationibus Astronomicis præcipue TYCHONIS, tum ex Calculis Astronomicis, præcipue KEPLERI didicisset, Planetas minores circa aliquem majorem revolvi, non quidem in Circulo, sed in figura ovali, seu Ellipsi, idque celeritate multum variabili. Conclusit inde, motum hunc Astra habere non posse, nisi a duabus viribus agantur, quarum altera constans, altera variabilis esset.

Sed

Sed enim legem invenire, secundum quam vis illa variabilis ageret, quando fieret maxima? quando minima? res erat subtilissimæ indaginis. At ubi varias Planetarum minorum celeritates, cum Varia eundem a Planeta primario distantia contulisset, reperit denique: *Vim illam variabilem agere in ratione directa Massarum, & inversa duplicata Distantiarum.* Hoc est: reperit, eundem Planetam magis attrahi ab altero majoris Massæ, quam ab altero Massæ minoris. Præterea: vim hanc attractricem eo minorem evadere, quo magis cresceret, non quidem simplex distantia, sed *Quadratum Distantiac* unius ab altero. Hanc ergo legem inter Astra repartam de Cœlo deduxit, corporibusque nostræ Telluris applicuit, eorum Gravitates, Cohœsiones, Effervescentias, Vegetationes secundum ipsam fieri demonstravit, Physicamque ad eum perfectionis gradum, in quo hodie floret, perduxit. Neque mirum propterea, quod Philosophiæ Doctores in Universitatibus, atque Academiis Physicam prælegentes, in exponendis Veritatibus Astronomicis longe plus temporis insument, quam annis nuper elapsis fuerit usitatum. Cum enim per hanc mutuam attractionem corporum, pleraque Phænomena explicitur, attractionis vero exi-

stent.

stentia, & Lex ex Astris deducatur, rectus philosophandi ordo depositus, ut Tyronibus rivulorum, quos hauriunt, genuinus fons ostendatur, quo facto Astronomiam, tanquam veram sanioris Philosophiae matrem venerentur, & colant.

## §. I.

DE

## SYSTEMATE PHYSICO ASTORUM.

**P**rincipium opus Astronomi Physici est, ex Observationibus, Calculisque deducere, & stabilire *Systema* aliquod hujus Universi, seu: Ordinem, quem Sydera in Cœlo obtinent, determinare. Jam inde a primis temporibus proposita fuere *Systemata* varia, quæ, crescente Astronomia Observatoria, reperta sunt digna, ut penitus obliterarentur. Ultimis annis duo floruerunt, alterum COPERNICI, alterum TYCHONIS. Prior Solem quiescere, reliquos Planetas, una, & Terram circa ipsum gyrari, moverique asserebat. Alter vero Terram stare, & circa hanc Solem, cum reliquis Planetis, moveri propugnabat. Licet autem TYCHO optimè intelligeret, *Systema Copernicanum*, & multo elegantius, & naturæ, atque rationi

tioni conformius, & ad Calculos Astronomicos peragendos, longe aptius fore, pertinacius tamen *Systemati* suo inhæsit propterea, quod arbitraretur, Sacrorum Bibliorum autoritatem vacillaturam, si dixerimus: Solem tum quoque jam stetisse, quando ipsi a JOSUE quies mandabatur. Manifesto sane indicio: TYCHONEM, quam magnus fuerat Astronomus, tam parvum fuisse Theologum. quando Patroni *Copernicani* *Systematis*, in Sacris Litteris versatissimi, earumque loquendi modos, optime assecuti, adeoque veri simul Theologi, absque negotio mandatum Ducis JOSUE, cum quiete Solis, conciliare noverunt. Atque inde factum, ut multi sane, imo plerique, sententiam COPERNICI, sine scrupulo, sequerentur. Donec tandem ultimis temporibus BRADLÆUS accutissimus Angliae Astronomus Phœnomenon in Cœlo detexit, eousque Observatum a nemine, sed quod nunc a quolibet spectari potest Astronomo. Nempe: Stellæ singulæ, licet Cœlo quasi affixæ videantur, si tamen debite Observentur, Ellipsim aliquam parvulam, intra anni spatium, describere videbuntur. Iste Stellarum motus cum verus, & realis nullo modo esse possit, apparens duntaxat est: neque aliter unquam explicandus, nisi per motum Telluris annum

niuum circa Solem , & successivam lucis Propagationem . Phœnomenon hoc , quod Aberrationem Lucis appellamus , ubi inter Eruditos innotuit , tanquam Achilles , & Demonstrativum prorsus , pro Systemate Copernicano , Argumentum exceptum fuit ; neque ex illo tempore , Eruditorum est quisquam , quem non pudeat , certitudinem hujus Systematis in dubium revocare .

Posteaquam revolutio Telluris circa Solem , intra anni spatium peragenda , extra Controversiam posita fuit , sponte sua sequebatur , alterum adhuc Telluri inesse motum , circa proprium scilicet axem , quem *Rotationis* , vel *Vertiginis* nominamus . Qui , si intra 24. horas , absolvit , Ortus , & Occasus Syderum , Noctium , Dierumque vices elegantissime explicabuntur . Fertur itaque Tellus motu duplici , ad instar fere , si parva licet , componere magnis , Globi Pyramidalis , qui e manu emissus circa axem suum volvitur , identidem , donec metam attingat . Neque ideo Telluri nostræ singulare aliquid adstruitur , quando certissimis Observationibus compertum est , reliquos Planetas omnes isto *Vertiginis* motu gaudere . *Sol* quidem , circa axem suum semel convertitur , intra dies 25. & horas 12. *Venus* intra horas 23. *Luna* eodem tem-

po-

pore, quo Terram circuit, id est; intra dies 27. horas 7. & 43. minuta. Mars eget die integro, & 40. minutis. Jupiter horis 9. & minutis 56. De Mercurio, & Saturno nondum poterat determinari.

Astronomi dein Observationibus, atque Calculis suis incumbebant in id, ut singulorum Planetarum a Sole *Distantia*, & vera cujuslibet *Magnitudo* determinaretur. Licet vero non ita difficulter invenerint Rationem illam, atque Proportionem, quam *Distantiae* reliquorum Planetarum a Sole habent, ad *Distantiam Telluris* a Sole, hoc est: licet invenerint, quoties *Distantia* alicujus Planetæ contineat in se *Distantiam Telluris* a Sole, ipsam tamen hanc *Telluris a Sole distantiam*, exacte determinare non poterant, ob parvitatem Anguli cujusdam minutissimi, quem Parallacticum nominamus, & qui nullis Instrumentis observabilis est. Ad hunc Angulum inveniendum, maxime conducere *Transitum Veneris infra Discum Solis*, recte observatum, noverant Astronomi. Sed Observatio anni 1761. minus fortunate cessit, deductaque inde *Telluris a Sole Distantia*, inter rixas, dubia manfit, usque ad annum 1769. quando ex Observationibus hujus Phænomeni, per universum orbem institutis, præsertim ve-

ro ex illa, quæ Taiti in America Meridionali ab Anglis, & illa quæ Vardoebusii in Lapponia Norwegica a Maximiliano HELL, & me factæ habentur, Lis definita fuit. His enim rite combinatis, deducitur: Tellurem a Sole distare Milliaribus Germanicis 20405578. seu: *Viginti millionibus, quadringentis quinque millibus, quingentis septuaginta octo Milliaribus Germanicis.* Hæc distantia Schala nobis est, & quasi Ulna, cujus ope reliquorum Planetarum a Sole *Distantias* emetimur. En illas.

<i>Distat a Sole</i>	<i>Milliaribus Germanicis.</i>
<i>Mercurius</i>	7909184.
<i>Venus</i>	14768782.
<i>Terra</i>	20405578.
<i>Mars</i>	31089278.
<i>Jupiter</i>	106166564.
<i>Saturnus</i>	194703104.

Hæc distantiae sunt mediæ. Cum enim in Ellipsi Planetæ volvantur circa Solem, magis interdum, interdum minus ab eodem distant.

Habitis Syderum *Distantiis*, & *Diametrorum Magnitudinibus apparentibus*, inquirivere Astronomici Phylaci, in reales, & veras *Diametrorum Magnitudes*, easque

que expreſſerunt in Milliaribus Germanicis *Simplicibus*, tum inquisiverunt in *Surperſicies*, easque expreſſerunt in Milliaribus Germanicis *Quadratis*. Denique in Soliditates Planetarum, per Millaria *Cubica* exprimendas. Ultimo inventa iſthiſ recenſere placet. Est vero Milliare *Cubicum*, talis Moles, cujus & Longitudo, & Latitudo, & Profunditas est Milliaris unius. Habet ergo

In Soliditate.	Millaria Cubica.
<i>Sol</i> - -	26655600000000000.
<i>Jupiter</i> - -	3118405200000.
<i>Saturnus</i> - -	2612248800000.
<i>Terra</i> - -	2665560000.
<i>Venus</i> - -	1777040000.
<i>Mars</i> - -	533112000.
<i>Mercurius</i> - -	98724444.
<i>Luna Satelles Telluris</i>	53311200.

Dignetur, benevolus Lector, hosce numeros penitus inspicere, ipſeque Judicium ferre, an rationi non magis conſtantaneum sit, ut Planetæ minores, circa unum maximum, quam, ut *Maximus* ille *Sol*, circa longe minorem, Tellurem icilicet, revolvatur. Neque reformidet varijs Saeræ Scripturæ Textus, in quibus Soli motus, Telluri quies adſcribitur.

Meminerit, ibidem esse sermonem de motu, & quiete apparenti, non autem reali. Ipsi quoque Astronomi, de motu Telluris annuo, & diurno certissimi, in suis tamen Operibus frequentissime nominant, *Motum Solis* in Longitudinem, *Motum Solis* in Declinationem, *Motum Solis* in Ascensionem rectam, *Motum Solis* annum, diurnum, horarium. An propterea fallacie incusandi erunt? minime. Sed, quia oculis nostris ita apparet, & ex regulis Optics ita apparere debet, ac si *Sol* hosce motus haberet, ideo Astronomi hosce motus nominant, non quidem ut *reales*, sed ut *apparentes*.

Etsi determinata habeatur cœlestium corporum *Soliditas*, nullis tamen modis determinari poterit, *Qualitas Massæ*, seu *Densitas Materiæ*, e qua componuntur. Neque scire possumus, quantum *Densitas* unius, *Densitatem* alterius superet. Cujus notitiae defectus in causa est, quod effectus *Attractionis mutuae*, quam, *in ratione directa Massarum* agere diximus, accurate calculari non possint. Conjecturare dant taxat licet *Diversitatem* illam *Densitatum*, & hypothetice assumere, quæ ipse Hypotheses, tamdiu mutandæ, & variandæ erunt ab Astronomis Physicis, donec calculata secundum has Hypotheses Phœno-

me-

mena cum Cœlo consenserint. Similes Hypotheses facere, atque identidem mutare, hactenus debebant Astronomi, circa *Distantias* Planetarum a Sole, in quarum *Ratione reciproca*, *duplicata* agit Attractio. At postquam nuper vera Telluris a Sole *Distantia*, & inde cæterorum Planetarum determinata est, nullæ amplius circa *Distantias* Hypotheses faciendæ erunt, labore Calculantium, dimidia sui parte, imminuto. En *Causam Observandi*, & *Fructum rite Observati*, **Transitus Veneris** per discum Solis.

Ad Systema Planetarum, Ævo nostro, quoque pertinent *Cometæ*. Postquam enim ex Observationibus innotuit, eos revolvi circa Solem regulariter, & quidem in Ellipsibus valde compressis, seu excentricis, Planetis adnumerari cœperunt. Hi in parte inferiori Orbitæ, dum prope Solem versantur, moventur celerrime, in parte autem Orbitæ Superiori tardissime serpunt, multum scilicet a Sole remoti; quæ tarditas facit, ut Orbitam suam, non nisi post plurimos annos, absolvant, qui ætatem hominis plerumque superant. Quodnam autem sint numero? nemo unquam definiens: quando singuli reddituri sint, a Posteris nostris spectandi? tunc licebit prædicere, ubi sufficienes circa ipsos Observ-

vationes factæ fuerint. Illum certe, qui anno 1682. observatus fuit, Celeberrimus CLAIRAUT Astronomus Gallus, adhibitis operosissimis Calculis, sub medium Aprilis anni 1759. redditurum prædictum; & re ipsa, paucis diebus post, aspectabilis fuit.

Stellas reliquas, instar Solis, quiescere indubium est. Vivacitas luminis, quo fulgent, propria ipsas gaudere luce, quem admodum gaudet Sol, invicte comprobatur. Magnitudine sua, Soli nostro minime cedere, ex immensa quam habent Distantia, colligere possumus. Quid ergo vetat, illas totidem Soles, sed a nobis remotissimos, appellare? Quorsum vero tot Soles, in hoc universo spectabunt? an ut nobis suo lumine serviant? quando maxima eorum Pars, Solum per Tubos, conspicua est? an ad alium aliquem suem a Sapientissimo Conditore facti sunt? Certe ad finem aliquem, & quidem nobilis, facti sunt, quem ILLÉ solus novit, qui fecit. Illud certum: Solem nostrum Planetis suis servire, Calore, ac Lumine, quod si dixerimus, Stellas singulas, habere circa se Planetas alios, quos calefaciant, atque illuminent, & qui Planetæ a Creaturis inhabitentur, Authorem suum DEUM agnoscentibus, & quibus Cœli Illi gloriam Creatoris enarrent; multum quidem

dem dixisse videbimus , semper tamen  
longe minus Omnipotentia Conditoris.

## §. II.

DE

## INFLUXU PHYSICO ASTRORUM.

**A**stra in Tellurem nostram influunt *Lumine, Calore, Gravitate.* Et quidem *Lumine* in *Oculos* nostros influere , nemo non videt , qui videt . Sol dimidiā *Telluris* partem illuminat , licet non semper eandem . Unde longitudo dierum varia est , apud varios . Qui sub *Æquatore* habitant , semper duodecim horarum , diem , totidemque horarum noctem habent . Iis , qui ab *Æquatore* versus *Polos* removentur , *Æstate* dies sunt longiores , breviores *Hyeme* . At si qui sub *Polis* ipsis existarent , medii fere anni diem , ejusdemque longitudinis noctem experirentur . *Luna* , cæterique *Planetæ* , nisi sint in *Conjunctione inferiori* , hoc est : nisi sint intra nos , & *Solem* positi , ipsis quoque in *Tellurem* nostram radiant , & pro diverso , quem in *Cœlis* occupant , situ , jam his , jam illis *Telluris* incolis , visibiles sunt . *Stellæ* fixæ , intra anni spatium , omnes videri possunt ab his , qui *Æquatorem* incolunt ; at si inde quispiam ver-

sus aliquem Polorum discedat , Stellas , circa Polum alterum sitas , successive vide- re definet , donec ad Polum ipsum deve- niens , eas Solum intueri poterit , quæ in Hemisphærio ipsius existunt , alterius He- misphærii Stellis , intra Horizontem perpe- tuo commoraturis .

Lumen a Sole emissum , omnium inten- sissimum esse , experientia discimus , Lumen Lunæ incomparabiliter debilius est . Multo adhuc debilius cæterorum Planeta- rum . Idque propterea : quod Corpora hæc opaca sint , neque proprio lumine gaudeant , sed a Sole illuminata , Solis lumen ad nos reflectant . Quæ ipsa reflec- xio , conjuncta longitudini viæ , quam lux , hoc casu , confidere debet , ejus in- tensitatem , ac vivacitatem vehementer imminuit . Cæterarum Stellarum lumen , etiæ non sit reflexum , sed proprium , ob- ingentem tamen distantiam , ita debilita- tur , ut ad illuminandam Tellurem nostram non sit sufficiens . Est tamen præstantissi- mo usui , vel inde , quod Stellas nobis aspectabiles reddat .

Solem , *Calore* suo , in Terram nostram influere , satis evincit Hyemis , & Aësta- tis diversitas . Quo magis perpendicula- riter loco cuidam imminet , eo amplius  
ca-

calefacit. Sub Zona torrida habitantibus calorem causat, propemodum intollerabilem, nullum fere illis, qui Zonas frigidas incolunt. Licet enim his, pluribus Mensibus, supra Horizontem existens, perpetuo luceat, quia tamen ad insignem altitudinem non emergit, neque vertici eorum propinquus fit, radios non perpendiculariter, sed oblique spargit, & ideo ad calorem causandum non aptos satis. Cetera Luminaria in Terra nostra, caloris producunt nihil, cum ipsius Lunæ lumen, per lentes, & Specula caustica etiam condensatissimum, in Thermometris subtilissimis, ne unius quidem gradus calorem cufare, experientia didicerimus.

Interim: potenter Luna influit *Gravitate*. Postquam enim ineluctabilibus argumentis NEWTONUS demonstravit: Planetas agere in se invicem, seque mutuo attrahere, in *Ratione inversa*, *duplicata distantiarum*: consequens est, ut Terram non solum attraheret Sol, Venus, Jupiter, sed etiam Luna, & quidem viribus præcipuis. Licet enim sit minor cæteris, præ cæteris tamen, Telluri vicina est, miliaribus 46440. distans. Inde fit, ut, dum effectus Attractionis cæterorum Planetarum, in eo fere consistit, quod celeritas Telluris, qua motu annuo, circa Solem fertur, pro diverso situ, jam augeatur,

jam minuatur; Effectus Attractionis Lunæ  
int multiplices prorsus, atque mirabiles.  
Illa, vi sua attradrice, movet amplissima  
maria, efficitque, ut aquæ in Oceano, in-  
tra sex horas, intumescant in altum, &,  
intra sex horas, iterum dehiscant: Ut  
notum est in mari navigantibus. Illa, vi  
sue attractionis, vapores Globi nostri  
Terrauei attollit in Aëra, Nubesque  
condensat abituras in pluviam, & tempe-  
riem Athmosphæræ nostræ vel conservat, vel  
mutat: Quod ipsum Calendario-graphi no-  
stri sequuntur, licet nondum satis asse-  
quuntur. Herbis, Plantis, Arboribus suo  
dat tempore incrementum, & non apto  
tempore, Luna nocet: Quod Oliores,  
cæterive novere Oeconomi. Morbos hu-  
mani corporis, pro vario Lunæ situ, au-  
geri, aut minui, Patientes æque, atque  
Medici norunt. Causam horum, aliorum-  
que effectuum esse, vim Attractionis Lu-  
næ, Phynici demonstrant. Nautas, Oeco-  
nomos, & Medicos edocent.

Quodsi tempore Eclipseos Solis, aut  
Lunæ, mutationem aliquam insignem Ath-  
mosphæra nostra pateretur, qualem qui-  
dem vulgus observasse se putat, unde pu-  
teos obtegere, & pecora domi retinere,  
neque eo die ad pastum expellere, in  
quousdam locis, consuevit; id quoque,  
ab

ab hac Attractione , foret repetendum .  
 At vero curas hasce supervacaneas esse ,  
 evincit experientia illorum , qui ignari  
 diei , quo Eclipsis accidit , pecora sua ma-  
 ne expellunt , eaque vespere sana , & ve-  
 geta recipiunt . Fontes quoque contegere ,  
 parum certe proderit , nisi paludes quo-  
 que , & flumina , integrumque Danubium ,  
 amplissimis tegumentis , consternamus .  
 Illud non invitus admitto , tempore Ecli-  
 pseos Solis , si ea præsertim Æstate , sub  
 meridiem accidat , pauloque sit major , ca-  
 loris mutationem aliquam fieri , aerein-  
 que , satis sensibiliter , refrigerari . An  
 hæc repentina mutatio , vapores , prius ,  
 per ardentes Solis radios , attenuatos , ita  
 condenset , ut instar subtilissimi roris de-  
 cident , & madore suo herbis noceant ? ea  
 fere ratione , qua floribus noceri vide-  
 mus , si Sole ardente , frigida perfundan-  
 tur ? hoc equidem ulteriorem Physicorum  
 indaginem requirit .

Cometas , Vi sua Attractrice , in Tel-  
 lurem nostram agere , quia *Lex universalis*  
*gravitatis* id exigit , indubium est . Quo-  
 niam tamen molis respetive sunt exiguae ,  
 effectus magnus non erit , nisi forte Tellu-  
 ri nostræ nimium quantum vicini fierent .  
 Cum enim Corpora hæc in superiori Orbi-  
 tæ suæ parte existentia , longissime a Sole

distent, eadem frigore constringi, & in glaciem prope abire necesse est. At ubi, in inferiori Orbitæ parte, ad Solem accedunt vicinissimi, congelata illa substantia calefit, atque etiam ebullit, & in vapores resolvitur, qui Athmosphæræ suæ innatantes, sub forma Crinium, aut Barbarum, aut caudarum a nobis conspicuntur. Et fortasse etiam in flammas abit materia, quæ comburi poterit. Si jam supponamus fieri, ut Orbita, quam Cometa decurrit, Orbitam Telluris nostræ intersecat, & uterque Globus, prope illam intersectionem, conveniat, enorinem utique mutationem in Tellure experiemur. Praeterquam enim, quod motum Terræ vehementer turbaret. Novum nobis Diluvium causare possent vapores illius, a Tellure nostra attracti. Incendia inexstinctabilia, liquidem Cometa ardere cogitetur. Sed ab omnibus his, immunem tenebit Orbem Ille, qui causas hasce Secundas, non in destructionem, sed conservationem totius univerii Condidit, DEUS.



## §. III.

DE

## INFLUXU MORALI ASTRORUM.

**C**onstat fuisse olim Astrologos, qui ex Constellationibus, & Astrorum positu, mortalium fortunas, dubiosque Eventus praedicere gestiebant. Erant in pretio Principibus tamdiu, donec felicia, & fausta annunciatabant. Vaticinii sui præmia referebant permagna. Is erat præcipiuus Astrologorum finis. Raro praedicebant infausta, nec nisi tunc, quando ipsa certissime eventura, ex aliis circumstantiis noverunt. Sed & alio Titulo Regnantibus erant accepti. Cum enim rude vulgus, similibus Astrologorum prædictionibus, multum deferret; erat interdum occasio, ut per hos populus in Officio contineretur. Exercitus integri, si Astrologus victoriā spopondit, abjecto timore pannico audaces effecti, magnis animis, totisque viribus, in hostiles acies irruerunt, pugnarunt, vicerunt.

Sed, & de Vitiis, atque Virtutibus hominum ex Astris judicium ferebant Astrologi. Inquirebant nempe Calculis suis loca, quæ in Cœlo occupaverint Planetæ,

eo

eo Momen<sup>t</sup>o temporis, quo natus dicebatur ille, de quo quæstio erat. E diverso Planetarum situ, seu *Horoscopo*, diversa diversis prognosticabant.

Crescente successive Astronomiæ notitia, Astrologiæ vanitas palam agnoscit, ac derideri cœpit; donec, Seculis hisce nostris, penitus evanuisse. Neque enim post longissimam indaginem Astronomi Physici vires ulla in Planetis reperire poterant, quibus humanam mentem, omni ex parte liberrimam, in malum potius, quam bonum, atque vicissim inclinarent. Illud certum, eodem tempore Regibus Principes, Nobilibus hæredes, rusticis filios nasci, cursum tamen vitæ, atque Fortunæ, longe esse diversissimum. ESAU & JACOB, sub eadem Constellatione geniti, quam dispare fuerint? Historia Sacra satis nos edocet. Quodsi quis, Astrologiæ defensor, tantæ disparitatis causam esse dixerit: exiguam illam temporis moram, qua JACOB fratri sui Plantam tenens, tardius effusus est: Tum vero totum Astrologiæ fundamentum penitus concidit. Nulla enim est mater, quæ Prolis suæ nativitatem ita præcise posset edicere, ut non de compluribus minutis, imo horæ quadrantibus remaneat dubium? Quis jam veram Constellationem inveniet? quis

*Horoscopum determinabit pro Nativitatis momento.*

Solebant Astrologi anni principio præfigere Planetam aliquem, toto anno REGNATURUM. Cujus Imperio sese subjicere deberent, non solum, Aer cum suis mutationibus, sed etiam Terra, cum suis frugibus, imo homines, cum suis actionibus. Cur autem Iste potius, quam Alter Regnet? quis ei sceptrum conferat? quibus viis ad solium perveniat? Interrogare non licuit. Misterium erat. Uno non contenti REGNANTE, diebus singulis hebdomadæ, suum Planetam tribuerunt, eo die gubernaturum. Non intelligo: qualiter toto anno regnaturus sit Mars, quando diebus Dominicis regnat Sol, diebus Lunæ, Luna, diebus Sabbati Saturnus? Nondum satis: singulis diei horis, alium, & alium Planetam Regnare finge- bant. Quale Imperium? ubi tot! tam varii! tam mutabiles Reges? Perturba- tissimum.

Astrologiæ successit, quorundam opiniō, putantium, a Cometis infelices even- tū effici, aut certe præsignari. Mortes Principum, Bella, Famem, Pestem, cum apparitione Cometarum, conjunctam arbitrautur ideo, quia legunt in Historicis, tem-

tempore similiū malorum, interdum Cometam in Cœlo fulsisse. Non Boni Philosophi, quorum si teneat argumentatio, pari jure Cometæ Causa erunt Lætitiae, Ubertatis, Felicitatis publicæ, cum illis lucentibus, & Ista habeantur. Meminitie sane deberent multos obiisse Principes, peractas pugnas, eversas Urbes, quin ullus in Cœlo Cometa luxerit. Vice versa, multos Cometas apparuisse, quin insignis aliquis, & memorabilis, in orbe nostro sequeretur eventus. Causæ Physicæ, ita cum suis Effectibus connectuntur, ut illis positis, isti existant, neque effectus produci possunt, absentibus causis. Qualiter ergo supra memorati eventus Cometis, tanquam Causis adscribi, possint? non video.

Nec DEUS, præter Naturæ Ordinem, hæc nobis Signa producit. Nec apta essent ad prælignandos divinitus futuros eventus, cum sint signa dubia, & incerta. Spectetur, hodierna nocte, Cometa ab Europæ Incolis: quis, quæsio, sine Revelatione Divina, determinabit, an Pestem, an Famem, an Bellum, an Mortem Principis præfigiat? quis edicet, cui, e tot Regnautibus, sit fatalis? cui e tot Regnis, Bellum? cui, e tot Regionibus, Famem? cui, e tot Provinciis, Pestem  
mi-

minitetur ? Omnia hæc manebunt in incerto , & obscuro , & æque parum , de futuro eventu , constabit , quantum hodie , nondum viso Cometa. Quodsi casu tristis aliquis eventus , in quodam Europæ Angulo , acciderit , multo quidem sermone dicetur : *Ecce hoc prænunciavit Cometa !* at , si Cometa Rationis , Sermonisque capax foret , diceret sane , se de eo eventu ne somniasse quidem. Verum jam inde ab orbe condito moveri se in Orbita sua regulariter , nunc plane ad eam Orbitæ partem devenisse , quæ nobis spectabilis esset. Abiturum se iterum in superiorem Cœli regionem , & postlimino iterum redditurum.

Errant etiam illi , qui Rubedinem Cœli nocturnam , aut Trabes illas ardentes , protensas Scopas , discurrentes in Cœlo Ignes , pugnantes Acies , & sexcenta alia , quæ nobis interdum vesperi , circa Horizontem Septentrionalem apparent , Pestem , Bellum , aut Famem , aliasque Calamitates præfigire arbitrantur. Quod quidem si ita esset , tum Populos magis Septentrionem versus habitantes , oporteret habere Bella perpetua , Famem non interruptam , mortes continuas , quando illis Æstate , & Hyeme , de die non minus ac nocte ista Cœli Phænomena aspectabilia sunt ,

sunt , & sub nomine *Aurorarum Borialium*, vulgo quoque , notissima. At si cum HELLI O dixerimus , indicia hæc esse futurarum nivium , aut frigoris ; uno id ore Populi Septemtrionales fatebuntur omnes, quos scilicet in conspectu hujus Phœnomeni quotidiano , quotidianæ quoque nives , frigusque exercet perpetuum.

Sunt , qui inquirunt , in quo Signo , Signique Gradu Planetæ existant , die , & hora , qua Numeri e *Lotteria* extraheantur. Numeros Signorum & Graduum ære non modico gravatos in Officinis deponunt . arbitrati , occulta aliqua Planetarum vi regi extraheantium manus , ut hos potius , quam alios arripiant. Errorem suum cum tempore ipsi sese dedocebunt , experienturque Astronomiam Nobilissimam Scientiam nihil habere commune cum Fortuna , & Calu.

Physica pulcherrimam sui partem , de Universi Systemate , & Natura , ac proprietatibus corporum Totalium totam *Astronomiæ* debet. Ut adeo nihil sani in Scriptis Physicorum , de hoc argumento reperiatur , nisi quod ex Astronomia desumptum.

WOLFFIUS.

CA.

## C A P U T IV.

DE

U T I L I T A T I B U S  
A S T R O N O M I A E.

Ego quidem , si ejus essem opinionis ,  
 Ut arbitrarer , illas solum Artes , at-  
 que Scientias *Utilitati Publicæ* profuturas ,  
 quibus Regna , & Imperia aquiruntur , aut  
 defenduntur : quibus Æraria publica , &  
 privatæ Opes augentur : quibus Populo-  
 rum cibus , potusque multiplicatur , vesti-  
 mentorumque Luxus fovetur . Pauca , pro-  
 fecto , de *Utilitate Astronomiæ* haberem  
 dicere . At quando Homines , non tan-  
 tum Corpore , sed & Anima , præcipua  
 parte constamus , minime addecet , Studia  
 nostra omnia , in corporis duntaxat com-  
 moditates conferre , neglectis iis , quæ  
 Spiritum fovent , excolunt , exornant .  
 Id ipsum quoniam Artes Liberales faciunt  
 omnes , mirum non est , Ipsas Sapientibus  
 esse in pretio , atque Studium *Musicæ* ,  
*Pictoriæ* , *Historiæ* , *Rei Nummariorum* , cæte-  
 rarumque Antiquitatum Juvenibus , majo-  
 rem etiam in modum , commendari . Quarum  
 quidem Artium *Utilitates* , si cum  
*Utilitatibus Astronomiæ* , a me infra refe-  
 rendis , contendatur , quanto intervallo

hæ illas exsuperent ? facile intelligent  
 etiam Illi, quibus hodiernam Physicam,  
 Astronomiæ Filiam, pertractandi , aut  
 animus aut otium deest. Interim tamen,  
 & illud fateri debeo, Artes cæteras ple-  
 rasque, præter Utilitatem aliquam Publi-  
 cam, Privatam quoque Cultoribus suis ad-  
 ferre. At Astronomiam, si species , Ea  
 Cultori suo Astronomo, præter Oblecta-  
 tionem mentis, & Publico serviendi sola-  
 tium , Private Utilitatis præstat omnino  
 nihil. Quin potius , onerat Laboribus,  
 exhaust Vigiliis , &, nisi aliunde, Prin-  
 cipum præsertim Munificentia , sustente-  
 tur , etiam Loculos evacuat. An non  
 autem ipsum hoc, singularem Astronomo-  
 rum Genium plurimum commendat ? ut-  
 pote qui , insuper habitis privatis suis  
 Commodis, & Lucris, Studia sua Utilita-  
 ti Publicæ consecrare gestiunt ? commen-  
 dat sane. Et vel ideo Regnantes Princi-  
 pes, atque Magistratus publici Eorum co-  
 natus remunerantur benevole, neque ipsis  
 quidquam deesse patiuntur. Quod nisi sie-  
 ret, necessitate coacti, Studia sua com-  
 mutare deberent, & post habitos paucos  
 Astronomos , proxime haberemus nem-  
 nem, sed simul etiam Publicis Astronomiæ  
 Utilitatibus careremus.

Quæ tamen *Utilitatem* quanto in pretio  
sint Augustissimæ IMPERATRICI, & RE-  
GINÆ Nostræ Clementissimæ? satis loqui-  
tur Celebrata illa, & toti Orbi notissima  
Astronomica Specula, quam ante annos  
complures in Urbe sua Cæsarea Viennensi  
collocavit. Idem loquitur Magnifica hæc  
Moles, quam EJUSDEM Voluntate, &  
Dispositione Sapientissimi sui MINISTE-  
RII in ipso sinu Regii Palatii Universita-  
tis Budensis, Loco Principe, consurgere  
videmus. Pro qua, erga Astronomiam  
Munificentia, & Gratia, non solum Do-  
mesticos, sed exterios quoque Astrono-  
mos omnes, æterna Gratitudine Sibi de-  
victos habebunt.

## §. I.

DE

## UTILITATE ASTRONOMIAE

*In Chronologia.*

**N**ihil æque commune Mortalibus, at-  
que Tempus illud irrevocabile,  
quod vivimus. Usum ipsius facimus Uni-  
versi. Neque solum Actiones nostras, at-  
que Negotia, sed & Distractiones, atque  
Otia Tempori admetimur. Mensuras Tem-  
poris ipsa Natura duce Astrorum cursus

nobis definiunt. Moram, qua Sol supra Horizontem Loci nostri existit, Diem *Naturalem*, qua infra Horizontem moratur, *Noctem* appellamus: Utrumque hoc Tempus, simul acceptum, *Diem* dicimus *Civilem*. Iste ab aliis in quatuor, ab aliis in duodecim, ab aliis in 24. partes æquales dividitur. Initium *Diei Civilis* non æqualiter computatur ab omnibus. Sunt, qui ab Ortu Solis, sunt, qui ab Occasu, alii, a media Nocte, Astronomi a media Die, horas numerandi sumunt exordium. Quotanam autem Diei, Noctisve hora fluat? vix aliquis accurate poterit dicere, nisi Authoma Horologum præ oculis habeat. Quæ non murmura audiuntur? quæ non perturbationes in Ordine rerum gerendarum eveniunt? si quandoque Horologia nostra sistere, aut præter legem moveri contingat? exspectatur cum desiderio Ortu, aut Occasus Solis, Cœlo sereno speandus, ut Horologii Indices, ad eos Numeros collocare possimus, quos in *Calendario*, pro eo tempore, habemus expressios. Quis vero hos Numeros *Calendario* inseruit? nisi Calculator Astronomus? Qui solus novit e Tabulis Solaribus Momenta calculare, quibus Sol in Horizonte diversorum Locorum Oriatur, & Occidat?

Quod

Quodsi alicui horas Diei indicet Horologium Solare in pariete pictum, aut instar *Compassus* in sacco portatile, meminisse velit: Horum quoque omnium Inventores fuisse Astronomos. Qui mira ingenii Sagacitate, ita Scientiam Gnomonicam, seu Horographicam excoluerunt, ut longitudinem, atque situm Umbræ, quam Stylus quispiam certis Horis projicere debeat, pro varia Solis positione, adamassim determinare, atque designare queant.

Præter horas Diei alia sunt Tempora, quorum Notitia ad Usus Vitæ humanæ persæpe plurimum interest. Talia sunt: Tempora Lunationum, seu quando sit *Novilunium*? quando *Primus Quadrans*? quando *Plena Luce* Luna splendeat, quando *Ultimum* exhibeat *Quadrantem*? Temporibus his accomodant Peregrini sua Itinera, Medici Pharmaca, Coloni Aratra, Hortulani Semina. Alii alias Observations sequuntur. Unde vero nisi ab Astronomis Lunationum harum prædictio petetur?

Nos quidem *Annum* vocamus Tempus illud, quod effluit, ab uno *Æquinoctio* verno, usque ad alterum. Hoc est: *Annus* incipit, quando Sol a principio Arietis digreditur, terminatur vero *Annus*,

quando Sol, confecta sua Orbita, ad hunc  
Punctum iterum rediisse videtur. Id,  
quod, nisi ab Astronomis observetur,  
calculeturque exacte; incerta manebit  
Anni longitudo, erroribusque obnoxia,  
qui eas tandem iterum facient in Universo  
Confusiones, quales Seculo decimo  
sextō extitisse legimus, quando annus  
*Civilis*, annum verum *Astronomicum*, Die-  
bus prope undecim superavit. Cui malo  
**GREGORIUS XIII.** Pontifex Maximus,  
Anno 1582. remedium attulit, ingenti  
Sumptu, & decennali Summorum Astrono-  
morum, Romæ collectorum, Labore, &  
Studio. Id ne iterum accidat, provisum  
est: ut *Æquinotia* & *Solstitia*, Lunatio-  
nes item, atque Eclipses, cæteraque ejus-  
modi, magna quotannis Cura, calculen-  
tur, atque cum Publico comunicarentur:  
per *Calendaria* scilicet, quæ in manibus  
plurimorum versantur.

Novi ego Calculatorem Astronomum,  
qui ob hostiles incursus, Musis semper in-  
festos, e Patria excedere coactus, in Pro-  
vinciam commigravit, Ungariæ adfitam,  
vitam tolleraturus ære illo, quod sibi pro  
*Calendariis* a se calculandis, obventurum  
sperabat. At paulo post, inde redux,  
afferuit: frustratum se sp̄ebus suis. Quan-  
do Typographi ejus Provinciæ id moris  
ha-

haberent, ut Calendarium *Cassoviæ* impressum, sibiique communicatum, raptim eo numero reprimant, qui Emptum quanticati suspecturus videatur. Hoc Ungaria quoque si faceret, si Calendaria aliunde, fors *Cracovia*, adferri curaret, melle quidem uteretur, alienis ab Apibus congregato, simul tamen ipso suo hoc facto testaretur, se, sine obsequio Astronomorum Calculatorum, esse nou posse. Sed & *Historiæ* animam esse Astronomiam. omnes illi fatentur qui studio *Historiarum* dant operam. Cum enim variarum gentium Historici, Majorum suorum facta recensent, secundum seriem annorum ipsis usitatorum; anni vero apud diversos Populos diversi existenterint, diversitas hæc, tantas Chronologiz assundit tenebras, ut nisi lux ab Astronomia affulgeat, Lectorem in Labyrinthum inducat ineluctabilem. Alii annos suos computavere secundum *Eclipses*. Alii secundum *Lunationes*, alii secundum motum *Solis*. *Iudei*, *Egyptii*, *Ethyopes*, *Syri*, *Græci*, *Arabes*, & *Turcae*, atque *Romani*, quam diversos annos habuerint? apud Chronologos reperies. Omnes hos inter se conserre, & ad unum aliquem reducere, nemo sane sine Astronomia poterit.

Hæc dum scriberem, invisit ad me veteranus Amicus, Jurium peritissimus, utriusque Fori, atque ad Excelsam Curiam, & Inclytam Tabulam Regiam Advocatus, petens a me, ut rem sibi, & Dominis Collegis suis per Ungariam sparsis, gratam præstarem, atque Dies, in quos *Pascha* præterlapiis annis incidisset, Calculis Astronomicis inquirerem, repertos, Typisque exscriptos Publico communes facerem. Cum enim Majoribus nostris soleinne fuerit, *Diplomatibus*, *Decretis*, *Mandatis*, *Contractibus*, & similibus Literariis Documentis adscribere diem *Festi* alicujus, plerumque *Mobilis*, cuius determinatio a *Paschate* penderet; Magnum sæpe laborem, ajebat, causari D. D. Advocatis, quando Dies similium *Datorum*, ad dies Mensis ordinarios reducere volunt, neque ad manus habent pretiosa illa, & rara volumina, quæ hos in usus, Exteri ediderunt.

Vera locutum intellexi, intelliguntque illi, qui in re Historica, præsertim *Diplomatica*, atque Veteribus Documentis magis versati sunt. Itaque pollicitus sum, me omnino, TABULAS conscripturum CHRONOLOGICAS, in quibus non solum *Dies Paschæ*, pro annis septingentis, sed complura alia, ad Chronologiam pertinen-  
tia,

tia, contineantur. Quod meum propositum, Cl. PRAY Ungariæ Historiographus Celeberrimus ita probavit, ut partem Manuscriptorum suorum aliquam, ultro mihi offerret, e quibus scilicet, operi meo Augmentum, atque Ornatum adsciscere possem. Tum videbit Lector, Astronomiam Iis quoque, qui inter homines Jura procurant, atque decidunt, utilem esse.

## S. II.

DE

## UTILITATE ASTRONOMIAE.

*In Geographia.*

**G**eographia, seu vera Globi Terraquei, quem incolimus, notitia, utrum sine Astronomia obtineri possit? videamus. Ad Geographum certo pertinet, scire Magnitudinem Globi nostri, scire ejus Figuram, positum diversorum Regnorum, situm Urbium, cursum Fluviorum, Montium a se invicem, cæterorumque locorum Distantias. Jam vero magnitudinem Globi nostri, quis vulgaris Geometra metietur? qualemnam catenam mensoriam ex superficie in Centrum ipsius demittet, ut de magnitudine radii, possit judicare? quemnam funem ab Ortu in Occasum Telluri

circumdabit ? ut ex ejus longitudine determinare possit Circuli maximi magnitudinem , ex ista superficiem , ex superficie soliditatem ipsam definire ? At vero ERATOSTHENES , summus sui ævi Astronomus , hæc omnia , jam duobus ante natum Christum Seculis , inquisivit , per Observationes Astronomicas Alexandriæ , & Syennæ institutas , atque ita feliciter detectis , ut eadem omnino per successores suos Astronomos reperta , confirmata , & stabilita habeantur . Est nempe Diameter Telluris 1720. milliarium Germanicorum simplicium . Circulus Æquatoris continet millaria 5400. superficies Telluris 9288000. seu novem milliones , ducenta octuaginta octo millia , milliarium Quadratorum , tota Soliditas est , 2665560000. seu bis mille , sexcent. sexag. quinque millionum , quingentorum sexaginta millium , milliarium Cubicorum .

Figuram Telluris Geometra vulgaris eo minus definire poterit , quo ferventius ab Astronomis , nostri quoque ævi , de ipsa disceptatum est . Arbitrabantur Veteres Globum nostrum esse *Rotundum* ita , ut Diameter , quæ ab uno Polo , ad alium ducitur , sit æqualis Diametro , quæ ab uno Æquatoris puncto , ad aliud sibi oppositum , per centrum transit . Astronomi-  
cis

cis Observationibus debetur repertus hu-  
jus opinionis error. Interim tamen in  
contrarias sententias ipsi quoque Astrono-  
mi abierunt. Afferentibus Gallis , Figu-  
ram Telluris esse *Ellipticam*, oblongam,  
ad Polos productam , qualem fere in po-  
mis Citrinis videmus. Alris contra affir-  
mantibus, Figuram Telluris esse *Sphæroid-  
cam*, ad Polos depresso . prominentem au-  
tem sub Æquatore , qualem circiter poma  
aurea præseferunt. Post maximos sum-  
morum Astronomorum labores , quos in  
Gallia, in Italia, in Germania, in Ungaria, in  
Affrica, in Lapponia ea de causa , diversos  
Meridiani Gradus mensurando, exantarunt,  
posterior isthæc Figura stabilita est, quam  
Magnus NEWTONUS , e Theoria quoque  
sua , & universali gravitatis , seu mutuæ  
attractionis lege , jam ante deduxit. Sum-  
ma tamen præcisio nondum obtineri po-  
terat , neque exactissime determinari ,  
quantanam portione minor fit axis ille a  
Polo , ad Polum ductus , ea Diametro ,  
qua Æquatorem dividit. Sed tamen hanc  
ipsam quantitatem , suo tempore definien-  
dam , & quidem a Solis Astronomis ex-  
spectamus.

Ut verus Situs , Magnitudoque Euro-  
pæ , Asiacæ , Africæ , Americæ , Regnorum  
præterea , Urbium , Montium , Marium ,  
La-

Lacuum, Fluviorum, in ipsis contentorum, haberi possit, inque Globis artificiis, atque Mappis Geographicis debite exprimi, sine quibus nulli Adolescentium, vel rudem Geographiae Ideam, ingenerare possumus, notitia duarum quantitatum necessaria est. Sciendum nempe: Quantum locus ille, in Globo, aut Mappa determinandus, distet a primo Meridiano? quæ Quantitas *Longitudo* loci appellatur. Tum sciri debet, quantum locus idem ab Æquatore distet Polum aliquem versus? & hæc quantitas, *Latitudo* loci nuncupatur. Urbis v. g. Budensis locum, quem in terra occupat, determinare volens Geographus scire debet ejus *Longitudinem*, & *Latitudinem* Geographicam. Unde vero sciет? nisi Observationes Astronomicas habeat, vel ab aliis factas, vel ipse novas instituat, Astronomiæ non ru-dis. Determinantur vero ab Astronomis *Longitudines* locorum, ex Observationibus *Eclipsiū Solis*, & *Lunæ*, tam ex Observationibus *occulationum Stellarum*, a Luna factis, facillime autem ex *Immersiōnibus*, atque *Emersionibus* Satellitum *Jovis*. Tales Observationes quia Budæ ha-  
cenus factæ non sunt, de Longitudine U-  
bis Budensis Geographica, nihil certi  
Geographus poterit dicere. *Latitudines*  
locorum ab Astronomis determinantur,

per

per Observationes *Altitudinum* Solis, aut Stellæ Polaris, vel aliarum Stellarum in Meridiano existentium. *Latitudinem* Urbis Budensis Astronomiæ observavit Maximilanus HELL in Domo Reverendissimi Domini Maximiliani JACOB Ordinis S. Benedicti, ad Schotos Professi, Abbatia Telkiensis Administratoris Plenipotentiati, Qui me singulari Benevolentia, atque Humanitate, Hospitio suo, & viæ, in annum jam quintum fovet. Reperta est *Latitudo*, seu *Elevatio Poli* Borealis graduum 47. Minutorum 27. Secundorum 16.

Etsi autem idem HELLIUS in itinere suo, quod Vienna Agriam, & retro fecerat, quindecim diversorum Locorum *Elevationem* Poli determinaverit, Proh! quanta adhuc sunt Loca, in amplissimo hoc Hungariæ Regno, eique adjunctis Provinciis, quorum neque *Longitudines*, neque *Latitudines* observatæ habentur! Imo quam pauca sunt, de quibus nobis certi aliquid constet! Nec mirum propterea, Mappas harum Regionum aberrare a vero, & procul abesse, ab illa exactitudine, quam in Mappis quorundam Regnorum, in quibus scilicet Astronomia floret, admiramur. Mapparum enin Geographicarum Bonitas tanta solummodo est, quanta est bonitas Observationum, secundum quas Mappæ de-

delineatæ habentur ! Neque malo huic afferetur remedium unquam , nisi Astronomus aliquis Observator manum operi ad moverit.

## §. III.

DE

## UTILITATE ASTRONOMIAE

*In Nautica.*

Majorem superficiei Telluris partem ab aquis occupari dubium non est. Innumeræ sunt Insulæ , aquis marinis quasi innatantes , quarum maxima America appellatur. Plurimum ad usus vitæ humanae interest , ut inter Insulas hasce ultra , citroque liceat comineare , id ars Nautica , quæ hodie ad summam fere perfectionem deducta est , mirabiliter præstat. Modicus ventus , in vela , ad omnem partem versatilia , impingens , celerrime ab ripit per iter liquidum , arces integras . quadringentis Viris , & centum tormentis bellicis oneratas. Sed & pretiosis mercibus gravidatas naves ab extremo Oriente in Occidentem devehit , Utilitate publici maxima , eaque notissima , damno quoque incomparabili , si eveniat , volantes hasce Machinas in Syrtes , breviaque inci-

de-

dere, Saxis, Scopulisque illidi, & disoluta compage in ima demergi. Quod ne fiat, vel me tacente intelligitur, Rectorem Navis, periculosa sibi loca noscere, eorumque situm in Mappa Nautica expressum habere debere. Quis vero positionem Locorum eorum, & mutuas a se invicem Distantias, determinabit in Charta, nisi ex Observationibus Astronomicis Longitudines, atque Latitudines eorum definiat ante?

Etsi his periculis nautæ non forent expositi, semper tamen Rectorem Navarchum Astronomia regere debebit. Debeat enim ille, ut nuper factum, Petropoli e Moschovia in Turciam commigrare. Videbit ex ipsa Europæ Mappa Geographica, sibi esse descendendum per mare Balticum, dein vero ascendendum per mare Germanicum, atque iterum per Britannicum, & Hispanicum mare descendendum, usque ad Caput Africæ, ibique per mare mediterraneum Ortum versus introeundum. At enim: postquam ille portu Petropolitano provectus est, atque Turres, Urbesque recenserint, nec quidquam oculis usurpari potuerit, nisi pontus & æther, quid faciet? quam viam tenebit quando nulla, Itinerum ante factorum, vestigia in undis intuebitur.

Acus

Acus quidem magnetica Septemtrionem respiciet, indeque Navarchus intelliget, ubinam sit Meridies, Ortus, & Occasus, at quantum ad Septemtrionem accederit? quantum ab Occasu in Ortum, aut vicissim proiectus fuerit? ignorabit. Verbo: ne-sciet, ubinam aquarum sit? hærebit dubius, & anxius in quamnam partem torquendus sit clavus? tum maxime, si Cœlum compluribus diebus nubibus contemnum conspectum Solis, cæterorumque Astrorum ipsi eripiat. At si Cœli serenitas faverit, Astronomico suo Instrumento Solis Altitudinem observabit, indeque suam ab Æquatore Distantiam, seu Latitudinem calculabit, noctu vero Lunæ ab una, alteraque Stella, distantiam accipiet, adhibitisque Tabulis Lunaribus resciat, quantumnam a Primo Meridiano distet? quibus cognitis certus erit, de loco, in quo existit, & ad terminum quo tendit securus properabit. Sed & Loca Navigantibus periculosa, & in Mappis expressa duplii hac Observatione devitare disceat. Væ enim illi, si a Saxis latentibus, & in Mappa adnotatis, diuidio se adhuc Milliari distare arbitretur, quando jam in propinquuo est! sicut enim ut plenis velis, summoque impetu in ipsa delatus, Naufragium momento patiatur. Quales quidem tristes Eventus non ita rari audiun-

diuntur , apud eas Nationes , quæ maritima exerceant mercimonia , damno ingenti non tantum suo , sed etiam nostro , qui procul intus in continenti , & plurimum a pelago remoti commoramus.

Quid enim , si navigium pereat , quod Zacharum , Faniliam , aut alias merces exoticas adferre debuisset ? au non illico mercium similium pretia crescunt in Urbibus quoque nostris , & singulis fornicibus Urbium ? augmentum pretii etiam illi querulantur , qui de Culina tantum solliciti sunt. At quia ignorant similium malorum eventuum causam , quia nesciunt Astronomiam esse *Ducem unicam feliciter* navigantium , ideo festive interdum joculantur , rogantque ? *Quidnam Astronomia inferat ad culinam ?* Nemo ita loquitur ex illis populis , quibus fruges , carnes , fructus , vina , & sexcenta alia , ad cibum , potumque , & vestitum , imo etiam ad recuperandam valetudinem necessaria , per mare advehuntur. Sciunt illi Astronomiam debito honore venerari. Neque tamen inde consequitur illis tantum Populis Astronomiam excolendam , qui maritima exerceant Mercimonia. Cum enim Mercimonia hæc aliis quoque Regnis indubitanter profint , bonum totius orbis publicum per eadem promoveri indubium est. In

incrementum vero Boni adeo Publici, collaborare Civium omnium interesse, nemo negaverit.

Eja autem! videamus, num Astronomus Budensis conferre aliquid possit in Usum Nautarum, procul in Oceano navigantium? Poterit sane. Cum enim Navarchis ad resciendum locum, in quo sint? identidem faciendi sint Calculi, e Tabulis Planetarum, Tabulae vero ipse ex Observationibus antea factis, construantur, Tabularumque Bonitas iterum per Observationes examinetur, unus Budensis diligens Observator, & fortasse accuratior cæteris, Calculatori Tabularum, Londini, vel Parisiis laboranti, operam præstare potest prorsus egregiam, & Causa esse præcipua Bonitatis Tabularum, ab illo conjectarum. Quæ quanto meliores, & cum Cœlo magis consentientes fuerint, eo tutius, & securius a Nautis adhibebuntur. Quid? quod accidere possit, ut locorum in mari existentium, & Nautis maxime periculoferum determinatio Geographica, uni Budensi Observatori in acceptis sit referenda. Cogitemus enim unum aliquem Navarchum in similem locum, hactenus incognitum, devenisse. Dabit profecto operam, ut Latitudinem illius loci per Observationes determinet, at pro determinanda

da *Longitudine*, Eclipsim Solis expectare non poterit, occultationes Stellarum a Luna sunt rarae, ergo *Immersionem*, vel *Emersionem* alicujus Satellitis Jovis observabit, atque ultro progredietur. Quod si hanc eandem Observationem Budensis fecit Astronomus Budæ, coimparatione utriusque facta habebitur *Longitudo* loci. Itaque in Mappa exprimi poterit, Locus ille a Nautis in posterum diligenter devitandus, ut se, navim, merces feliciter in portum devehant. Quæ ipsa cogitatio animos addit Observatoribus, ut in faciendis iis Observationibus, e quibus determinatio *Longitudinum* pendet, solertissimi sint; obtentasque publicis Typis vulgent, ut ad manus quoque remotissimas pervenire possint, eisque prodeffe, qui a nobis terra marique longissime absunt. Qui Astronomorum inspicerit opera, Observationes hujus generis copiosas inveniet, inter quas etiam illas, que in ultimis finis, *Pekini* scilicet, factæ sunt, reperiet.

## §. ULTIMUS.

DE

UTILITATE ASTRONOMIÆ

*In Agnitione DEI.*

**S**i Cœli enarrant Gloriam DEI, si opera Ejus annunciat Firmamentum, fieri certe non poterit, ut in majore in cum Cœlo, & Firmamento notitiam affecutus, existentiam ejusdem Authoris, aut ignoret, aut in dubium revocet. Multitudo Syderum innumerabilis, eorum in distantia, propemodum infinita, incomprehensibilis Magnitudo, præcipue vero regularis eorum, & jam inde a Mundi origine perdurans, elegantissimus Motus, Orbitarumque descriptio, Argumenta sunt ineluctabilia, Entis cujusdam Potentissimi, & Sapientissimi, quod DEUM appellamus. Quotquot hactenus extiterunt, si tamen extiterunt, Athei, oportuit eos clausisse oculos, neque unquam mentem, in Cœlestia illa Corpora sustulisse. Fautor leorum famosus ille SPINOSA, ex Christiano Judæus, ex Judæo Divinæ Existentiæ impugnator, Astronomiæ rudissimum sese ostendit, quando Cœlestia Corpora Casu fortuito coaluisse, & nunc quoque Casu fortuito moveri, ajebat insanus. Sed & illi,

qui

qui Solem adorarunt, & Lunam, cæterarumque Stellarum pulchritudine illecti, Orbis Terrarum Rectores Deos putaverunt, externam tantum Syderum formam, neque hanc satis aspexisse inficiari non poterunt. Si enim Solis materiam esse ignitam, quæ effluvia sua circum quaque effundit, & lucem causat, scivissent; si Lunam Corpus esse opacum, Terræ huic nostræ non absimile, montibus, & mari bus refertum, & luce a Sole accepta splendescere novissent, si Cursum Syderum secundum subtilissimas leges, ab al tiori aliqua, & æterna Mente præscriptas, peragi intellexissent, non quidem hæc Corpora habuissent pro Diis, sed illum agnovissent DOMINUM, cuius manuum opera Cœli sunt!

Videbo Cœlos tuos,  
Opera digitorum tuorum,  
Lunam, & Stellas,  
Quæ TU fundasti.

*PSALTES.*

At-

Atque hi, compendio relati, Astronomiæ fructus, Lectori sufficere poterunt ad corrigendum, si id habebat, de Astronomiæ superfluitate judicium. Labores quoque Astronomorum, tam Observatorum, quam Calculantium, strictim enarranti, cuilibet facile persuadebunt, vitam Astronomicam, & nocturnis vigiliis & diurnis laboribus, esse occupatissimam. Si quandoque Astronomis otium est super, illud in Contemplatione rerum Cœlestium insumunt, se, terrenasque res cæteras, cum Cœlestibus illis conferendo corporibus. Qua comparatioue facta discunt, neque de se ipsis altum, sapere, neque res circumpositas juste plus æstimare.

Itaque Astronomus neque sui, neque Terrenarum rerum Æstimator imprudens, mente, animoque inter Sydera versabitur; donec super Astra evecto, Conditorrem ipsorum, & Potentia, & Magnitude, & Pulchritudine infinitum, non amplius in *Ænigmate*, & quasi per *Speculum*, in Creaturis suis, sed facie ad faciem, prouti est, intueri, venerari, amare fuerit concepsum.

<i>Pag.</i>	<i>Loco</i>	<i>Légiatur.</i>
23.	adv rsum	adversum.
24.	immortales	immortale.
55.	c usare	causare.
65.	contendatur	contendantur.
71.	empr rum	emporium.
76.	U bis	Urbis.
77.	Astronomiz	Astronomice.

Rk 1794 / 1575











